DE

PHILOXENO CYTHERIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

MARBURGENSIUM

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OFFERT

Johann GUILIELMUS KLINGENDER

CASSELLANUS.

MARBURGI CATTORUM

MDCCCXLV.

De vita Philoxeni.

De Philoxeno post. Burettium in Mémoir. de l'Academ. d. inscript. tom. XIII, p. 200—207. nuper egerunt Bergleinius (de Philox. Cytherio, Gotting. 1843) et Bippartus (Philoxeni, Timothei, Telestis reliqq. Lips. 1843). Cfr. Ulrici, Gesch. der hellen. Dichtkunst, tom. II, p. 597—604. Bode, Gesch. der hellen. Dichtk. II, 2, p. 316 sq. — O. Müller, Gesch. der gr. Lit. II, p. 285 sq.

Pauca de Philoxeni vita a veteribus memoriae sunt prodita. Patriam ejus quum unanimo consensu rerum scriptores, qui ejus mentionem faciunt, Cythera insulam appellent (unde saepissime Cytherius nominatur) [1]), nihili est, quod Suidas Callistratum Heracleam Ponticam patriam nominasse Philoxeni dicit. Dubia autem eo magis est Suidae fides, quo minus Callistratum, qui genere Heracleota fuit, errasse in hac re credibili est (cf. Berglein. p. 6). Nisi forte, id quod non raro claris scriptoribus contigit, ut ab exteris civitate aliisque praemiis donarentur, Philoxenus civitate ab Heracleensibus donatus illam urbem quasi alteram patriam nactus est. Facile vero fieri potuit, ut de patria Philoxeni scriptor erraret, quia Cytheris poeta nihil praeter originem debuit atque patriam relinquere prima fere futurae gloriae conditio

illi fuisse videtur. Natus est poeta secundum marmor Parium (ep. 70) anno 435 a. Chr.; illud enim ad Ol. 100, 1 annotat, eo anno Philoxenum poetam dithyrambicum quinquaginta quinque annos natum obiisse. Cum hoc, praeterquam quod de anno natali nihil produnt, consentiunt et Diodorus Siculus (XIV, 46), qui anno 398 a. Chr. floruisse Philoxenum cum Timotheo et Teleste auctor est, et Pausanias (I, 2), a quo major Dionysius [2]) qui Ol. 93, 1 ex marm. Pario ep. 63 tyrannidem occupavit) poetae fautor fuisse traditur. Patre usus est Eutytida [3]) (Suid s. v. *Φιλόξεν.*). Is, quantum quidem conjectura assequi licet, non Doricae stirpis erat, sed ex numero perioecorum, qui Spartanis civibus aut nullis aut perpaucis admixtis incoluisse insulam videntur. Spartanorum enim quotcunque in insula erant, non firmas ibi sedes habebant, sed pro praesidio ad Cytherorum custodiam cum magistratu (*κυθηροδίκη*) quotannis mittebantur, ita ut recentes semper extremae stationis custodes in eorum, qui annuum tempus emeritum haberent, locum succederent (Thuc. IV, 53). In his igitur rerum patriarum et domesticarum conditionibus Philoxenus natus est. Apparet autem talem patriam poetico ingenio excolendo parum fuisse idoneam. —

Maximi igitur momenti in Philoxeni vita id tempus fuit, quo terrae, cui originem debebat, ereptus atque omnino ab omnibus patriae vinculis solutus in novas vitae conditiones ejectus est. Quod discrimen quamquam quando acciderit non ab omni parte certe definiri potest, accidit tamen, atque, ut videtur quidem, adolescenti homini eaque aetate vigenti, qua puerile ingenium molle ad disciplinam institutionemque esse solet. Atque id ipsum, quo deprimi potius, quam attolli et augeri ingenii vires solent, initium Philoxeno fuit, unde profecto ad magnam illa aetate gloriam pervenire in

fatis erat. Servus enim factus est[4]). Quod quando factum sit et a quo, controversia est. Nam quod Suidas illo tempore id accidisse ait, quo Cythera subacta a Lacedaemoniis essent, id tantum abhorrere a vero visum est, ut, quum ne fingi quidem tempus posse videretur, quo talia a Spartanis passi illi essent, Reinesius Lacedaemoniorum nomini Athenienses substitui juberet. Assentitur ei Berglein. p. 7. Et habet quidem haec conjectura, quo commendari videatur. Nam primum quicunque quanta sit apud Suidam nominum confusio meminerit, justa audaciorem esse eam non judicabit; praeterea temporis rationibus optime convenire videtur. Octavo enim belli Peloponnesiaci anno Athenienses classe sexaginta navium parata Nicia duce Cythera insulam, orae Laconicae propugnaculum, invaserunt[5]), incolas et praesidium Spartanorum in insula collocatum proelio superatos se suaque omnia victorum potestati committere coegerunt. Quid igitur credibilius, quam Athenienses deditionis jure usos Cytherios in servitutem redegisse et sub corona vendidisse? Quod quamvis veri speciem prae se ferre videatur, verum non est. Nam primum quidem Graeci moris non erat, victos et bello subjectos in servitutem redigere; in Cytherios autem tanta saevitia eo minus erat utendum, quia tantum aberat, ut hostium iram ullo modo excitarent, ut breve tantum tempus se defenderent ac deinde proelio victi ex pacto se Atheniensibus dederent. (Thuc. IV, 54). Praeterea Thucydides IV, 57 disertis verbis paucos Cytheriorum, ne nocere possent, ab hostibus ex insula in alia loca translatos esse narrat; reliqui tributarii facti priscas sedes tenuerunt. De servitute ne verbum quidem. Quid igitur? Num iis assentiemur, qui Cytherios a Lacedaemoniis dudum subactos rebellasse atque iterum victos hanc poenam dedisse idque

inter annos 435 et 424 a. Chr., (h. e. inter Philoxeni annum natalem idque tempus, quo Niciae expeditio facta est) accidisse statuunt (Bippart. p. 21)? Vereor ne longissime a vero absint. Nam Cytherios suis ipsorum opibus fretos, quum ne minima quidem esset victoriae spes, rebellasse quis audivit, quis crediderit? An Suidam, quod uni alterive illo tempore, incertum quas ob causas acciderit, temere ad omnes Cytherios transtulisse statuamus (id Meinekio visum est, cf. Berglein. p. 7)? Licebit ab ea via abstinere, dum alia patere videatur. Quam diligenter circumspectantibus nobis aperiri equidem puto. Nam Spartanis audimus insulae occupationem admodum improvisam et necopinatam fuisse (Thuc. IV, 55), eo magis, quo majorem in insula praesidio custodienda curam adhibuerant (Thuc. IV, 53) [6]), quum quid hostis Cytheris potitus efficere posset haud eos fugeret [7]). Quo factum sit, ut, quamquam a Lacedaemoniis omnia, quae ad custodiam usui forent, erant provisa, tanta facilitate Athenienses insula potirentur, ut ne caput quidem insulae, quod sine dubio munitum erat, defenderetur, Thucydides quidem non diserte narrat, facit tamen, ut colligere possis. Nam antequam belli fortunam experirentur, nonnulli Cytheriorum (non Spartanorum, qui praesidio insulae erant) in colloquium cum Nicia coierant (Thuc. IV, 54), quo factum est, ut et extemplo et postea facilius commodiusque de singulis pacti capitibus inter utramque partem conveniret. In qua re non longe abest quin de proditione cogitemus. Nam equidem quum diligentius in illo Thucydideo loco versabar, ad eam deducebar sententiam, ut nonnullos existimarem Cytheriorum, fortasse eos, qui auctoritate plurimum valerent, ab ducibus Atheniensium ad defectionem esse incitatos eosque, quamquam essent etiam, qui fidem Spartanis servarent, vim defen-

sionis fregisse ac postea effecisse, ut insulà hostibus dederetur. Fuit nescio quid, quod Cytheriorum voluntatem a Spartanorum salute abalienaret. Nam et tum mala fuit eorum fides, et postea Siculo bello exorto Cytherii ab Atheniensibus stantes adversus Syracusanos, quos Lacedaemonii adjuvabant, arma tulerunt (Thuc. VII, 57). Nescio an et insulae situs et mercatura commerciumque, quod Cytherios cum exteris (Thuc. IV, 53) inde ab antiquissimis temporibus constat miscuisse, id effecerit, ut, quum et ipsi peregre abirent et exteros apud se exciperent, mobiliora ingenia et novarum rerum studiosiora fierent, faciliusque iis rebus, quibus ceteros Graeciae homines moveri, vidissent, et ipsi concitarentur. —

Expugnatam insulam Athenienses aliquot annos continuos obtinuerunt; ea demum pace, quae a. 421 composita a Nicia denominatur, Spartanis multa mala ex occupatis Cytheris perpesis reddita est (Thuc. V, 18). Qua ratione Lacedaemonii in Cytherios egerint ignoramus; quid vero minus mirum, quam in incolas reoccupatae insulae propter terram aut male defensam aut proditam et culpae ulciscendae et aliorum a pari facinore absterrendorum causa summa cum severitate actum esse? Ita optime res expediri posse mihi videtur. Nihil impedirem, si quis a Th. Bergkio stare mallet, qui (Jenaische Neue Allg. Lit. Ztg. III. Jahrg. p. 1208) eos Cytherios, qui tempore expeditionis Nicianae Spartae fuissent, propter Cytheriorum defectionem a Spartanis sub corona veniisse censet, modo, quod ipse malle videtur, Cytheriorum nomen pro nomine insulae legeretur (Suid. *Φιλόξ.* — *Οὗτος ἀνδραποδισθέντων τῶν Κυθήρων ὑπὸ Λακεδαιμονίων κτλ.*). Cum aliis gentis suae hominibus Philoxenus quoque adolescens (agebat enim circiter annum quartum decimum) sub corona

veniit et herum Agesylum quendam, quem Doricae stirpis fuisse ex nominis forma Bergkius colligit, nactus est. Is eum, qui tum mos erat servorum nomina mutandi, *Μύρμηκα* appellarit [8]). Agesylo mortuo ad Melanippidem minorem emtione transiit, poetam lyricum et dithyrambicum, qui circa Ol. 80 floruit [9]). Is Philoxeni ingenii excolendi operam suscepit, divite vena et poetica servi virtute perspecta, atque ita discipulus exspectationi respondit, ut, eo usus magistro, qui tum princeps dithyrambopoeorum habebatur [10]) et ipse praestantissimi poetae laudem consequeretur. Sed non ita longum tempus cum Melanippide fuit. Melanippides enim apud Perdiccam, Macedonum regem, diem obiit supremum (Suid. *Μελανιππ. θυγατρ.*); jam ante annum 413 a. Chr. igitur, quo Perdiccas mortuus est, Philoxenus magistrum amisit. Servus autem postea non fuit, sive a vivo Melanippide manumissus, sive mortuo hero in libertatem restitutus, postquam ad summum sex septemve annos servus fuit. Hoc fere tempus floris et gloriae Philoxeni initium; a servitutis vinculis liberato in vegetissima aetate (nam vix ultra vigesimum annum provectus erat) ingenium sublimius ferebatur, ita ut excepisse quasi Melanippidem Philoxenus videretur. —

Posteriore tempore Syracusis apud Dionysium majorem Philoxenum reperimus (Diod. Sic. XV, 6), quem ut hominem doctum et a pueris artibus ingenuis eruditum (Cic. Tusc. qu. V, 22) non minus quam alios Graecos tyrannos literarum artiumque literalium fautorem fuisse, adeo ipsum non mediocri studio in carminibus condendis versatum esse constat [11]). Qui quàmvis infelicissimo successu poesi operam navaret et ingenio poetico careret, ita ad eam rem fuit intentus, ut, quam cupidissime appetebat, boni poetae laudem bellicae gloriae longe anteferret, quin etiam in castra et bella

Musas se sequi juberet (Diod. XIV, 109). Incommodo quidem ei accidit, ut homines illi aequales poeticis Dionysii virtutibus gratiam non referrent; quamquam enim ipse adeo sui ingenii amator erat, ut longe majore laude digna in poetica, quam bello praestitisse sibi videretur, tamen ita a Graecis exceptus est, ut, quum aliquando ad Olympica certamina misisset, qui suos versus pronuntiarent, sibilaretur. Quae res eum a studio suo minime deterruit (Diod. XIV, 109. XV, 6). Maximo autem studio post confecta bella, quae cum Carthaginiensibus gessit, Dionysius, quamquam non perpetua post illa pace usus est, ad literas se contulit poetasque clarissimos ad se arcessivit (Diod. XV, 6). Bella autem Carthaginiensia, quibus inde ab imperii initio (Ol. 93, 4) saepissime Dionysius vexatus est, sin minus confecta, at intermissa esse accepimus inde ab Ol. 97, anno I. usque ad Ol. 99, annum primum, quo post diuturnam pacem bellum cum Carthaginiensibus redintegratum est (Diod. XIV, 95. — XV, 15). Temporo illo interjecto Dionysius Italos saepe bello vexavit; tamen inter ipsa bella satis otii nactus est, ut una cum poetis, quos secum habebat, literis indulgere posset. Inter eos fuit etiam Philoxenus, quem ex iis, quae Diodorus XV, 6 de Dionysii studiorum tempore memoriae prodidit, illo circiter tempore paulo post confectum quartum Carthaginiense bellum (Ol. 97, 1. Diod. XIV, 95) Syracusas adiisse Berglein. p. 10 collegit. Haec commoratio apud Dionysium eo, quod vario modo hominis studia excitavit, uberrimumque ei ingenii quasi pabulum praebuit, id effecit, ut tum maxime ingenii flores poeta aperiret; unde fit, ut id carmen Philoxeni quod antiquitus in maxima celebritate famae erat, Cyclopem dico, Syracusas redoleat ibique si non compositum, at conceptum animo esse videatur. Quamquam

autem apud Dionysium plurimum existimatione et auctoritate valebat, tamen laesa tyranni ambitio et iniquitas poetam urbe expulerunt. Tyranni enim malo poemate aliquando super coenam recitato, quaesitum est e Philoxeno, quid de eo existimaret. Poeta, sive indignum putabat, imperito versuum artifici blandiri, sive altero laudato de sua gloria aliquid detrahi arbitrabatur [12]), sive denique a se impetrare non poterat, ut talem hominem id sibi sumere impune pateretur, quod veri solius poetae esset, eoque magis illius ostentationem indignabatur, quod ab eo, quem nullo modo ne comparari quidem secum posse sentiret, ad laudanda vituperatione tantum digna esset evocatus; libere quid de propositis versibus sentiret pronunciavit, quo facto tyrannus, dictis offensus et accusans illum, quod invidia ductus se reprehendisset, satellitibus eum abducendum et in latomias [13]) conjiciendum tradidit. Is enim, Cicero ait (Tusc. qu. V, 22), animus Dionysio fuit, ut neminem, qui aut libertate dignus esset, aut vellet omnino liber esse, sibi amicum arbitraretur. Omnium autem minime ferre poterat, si quis versibus, quibus maxime se efferebat, non tantas impertiret laudes, quantis digni esse ipsi videbantur. —

Ita Antiphontem, qui cum ipso tragoedias condebat (Plutarch. Vit. X rhet. p. 833 C), quum tyranni fabulas carperet, odio habuit, atque post Olympiaca illa sibila tanta invidia incensus est, ut omnes homines inimicos sibi esse putaret optimosque, quos dilexerat antea, Syracusis ejiceret (Wesseling. ad Diod. XV, 6). Sed ad Philoxenum redeamus. Postridie ejus diei amicis veniam poetae petentibus Dionysius e carcere eum arcessit atque eosdem ad coenam vocat. Inter pocula igitur Dionysio iterum versus suos jactante ac nonnullas, qui venuste processisse videbantur, recitante, Phi-

loxenus interrogatus, quid sentiret de iis, aliud nihil dixit, sed ministros tyranni jussit se in carcerem reducere [14]). Dionysius quum ne malis quidem constantem poetae animum fractum esse vidisset, orationis libertatem tulit et ridendo indignationem celavit; Philoxenus autem, quoties postea de Dionysii versibus sententiam interrogabatur, ad ambiguitatem in dicendo callide confugiebat, atque *οἰκτροὺς* eos esse dicebat, quo et ipse veritatis studio satisfaceret nec tyranni ambitionem violaret. Tamen minorem principis favori fidem habuisse videtur, quam ut, quum ita res essent, securus cum eo viveret; inconstantiam tyranni veritus aliam sedem quaerere tutius esse ratus est. Ita quidem Diodorus rem narrat. Paulo aliter Plutarchus [15]), qui in ceteris cum illo consentiens hoc solum addit, Philoxenum tragoediam a Dionysio sibi corrigendam traditam totam delevisse et exstinxisse. De Athenaei [16]) dissensu, ideo poetam in carcerem conjectum esse narrantis, quod tibicinae cujusdam amore tyranni zelotypiam movisset, quid statuendum sit infra videbimus. —

Philoxenus Syracusis egressus, inscio, ut videtur, Dionysio, Tarentum [17]) se contulit, ibique per aliquod tempus commoranti saepe literis missis tyrannus persuadere conatus est, ut ad se rediret. Ad poeta invitationes repudiavit, nihil aliud pro responsione in membrana pingens, quam literam *ὀ* saepe repetitam (Suid. *Φιλόξ. γραμμάτ.* Diogenian. VIII, 54), vetustissimorum Graecorum secutus usum, qui illa litera pro vocabulo *οὐ* uti solebant [18]). —

Ex reliqua Philoxeni vita paucissima innotuerunt. Tarento enim relicto audimus eum in Graeciam rediisse, et primum quidem Corinthum videtur petiisse (schol. ad Aristoph. Plut. 179). —

Quamdiu ibi versatus sit non magis constat, quam

num ad illud tempus pertineat, quod Cythera patriam suam aliquando adiisse narratur [19]). Posteriori tempore in Asiam minorem trajecit, ubi supremum vitae tempus degisse videtur. Ibi, uti per totam vitam consueverat, certa sede carens per celeberrimas urbes migrabat, literarum artiumque sedes, atque non exiguam hominum gratiam sibi conciliavit [20]), quum et morum ingeniique quadam facilitate [21]) ac dicendi lepore facetiarumque studio [22]) commendaretur hominum consuetudini, et carminibus suis Asiaticos, musarum amatores, admodum delectaret, ut Ephesios hymenaeo totos ad se rapuit [23]), Colophonios Cyclope suo delectavit [24]). —

Ephesi quinquaginta quinque annos natus primo anno Olympiadis centesimae (a. 380 a. Chr. n.) supremum diem obiit (Marm. Par. ep. 70). —

De arte Philoxeni.

Magnam et apud aequales et apud posteros gloriam Cytherius et carminibus et de re musica meritis sibi comparavit. Nam Antiphanes comicus [25]) omnium illius aetatis poetarum longe praestantissimum aliisque laudis additis verae musicae gnarum eum dicit; Pausanias [26]) autem ut Polycratis Anacreontem, Hieronis Aeschylum, ita Philoxenum ait Dionysii familiarem fuisse, ita quidem, ut illorum, quibus adjungitur, nomina testimonio quasi sint, non ultimo loco Philoxenum habitum esse. Ipse autem poeta (quem *λωτοῦ πιστότατον ταμίην* Hermesianax [27]) dicit) ita sibi satisfecerat, ut instante morte jucundam sibi esse vitae praeteritae memoriam profiteretur, quum omnes suos dithyrambos ad virilem aetatem provectos et coronatos vidisset [28]). Gloria etiam poetae superstes fuit. Nam Arcades Philoxeni et Timothei

nomos ediscebant [29]), atque Alexander Macedonum rex tanti eum aestimavit, ut cum Aeschyli Sophoclisque tragoediis Philoxeni dithyrambos mitti sibi juberet (Plutarch. V. Alexandr. c. 8), unde in suo quidem genere vix cessisse cuiquam Cytherium colligas [30]). Sed non amicos modo, sed etiam adversarios acerbissimos habuit, et comici quidem non molliter eum tetigerunt, sed irrisionis quasi aculeis hominis memoriam perfoderunt, ea ipsa maxime in eo vituperantes, quae vulgo ab aequalibus summo cum plausu excipiebantur. In hac tanta judiciorum diversitate ac dissensione ut diligenter accurateque ea ponderemus, quidque veri, quid falsi iis inhaereat examinemus, eo magis impellimur, quo clarius ipsi Philoxeni adversarii eo, quo hominem prosequuntur, studio quid valuerit produnt. Sed quoniam quaecunque fiunt serie quadam et continuatione rerum continentur, ut quae ad singularem Philoxeni artem pertinent recte intelligantur, non possumus non de universa dithyrambicae poesis indole, qualis illa aetate fuerit, pauca explanare, quae minus placet una orationis perpetuitate comprehendere, quam carptim singulas res, ubi suus cuique locus esse videbitur, inserere [31]).

Proficiscamur a versibus illis Antiphanis comici, qui Philoxenum eximia prae ceteris poetis musicisque laude ornavit:

Πολύ γ' ἐστὶ πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
ὁ Φιλόξενος. Τὰ πρῶτα μὲν γὰρ ὀνόμασιν
ἰδίοισι καὶ καινοῖσι χρῆται πανταχοῦ.
ἔπειτα τὰ μέλη μεταβολαῖς καὶ χρώμασιν
ὡς εὖ κέκραται. Θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν
ἐκεῖνος εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν.
Οἱ νῦν δὲ κισσόπληκτα καὶ κρηναῖα καὶ
ἀνθεσιπότατα μέλεα μελέοις ὀνόμασι
ποιοῦσιν ἐμπλέκοντες ἀλλότρια μέλη.

Tria sunt quae ab Antiphane in Philoxeno maxime laudantur: primum quod novis ubique propriisque verbis usus sit; alterum quod in cantus miscendo pulchram quandam varietatem intulerit coloribusque et pigmentis eos consperserit; tertium denique, quod suam quandam ac peculiarem ingenii formam significarit. Ad haec quae et qualia sint deinceps animum advertamus.

Nova autem verba non minus quam metra soluta dithyrambi erant propria, quare in carmine ad Pindarum Horatius (Od. III, 2, 10 — 12) canit:

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis.

In hoc igitur novorum verborum usu per se non plus inest vituperationis, quam in eo quod Aristoteles (Poet. c. 22) dicit: *τῶν ὀνομάτων τὰ μὲν διπλᾶ ἁρμόττει τοῖς διθυράμβοις.* Nam ea erat dithyrambi natura, ut vulgaris oratio ei non satisfaceret, imo ut orgiastico furore, animi inflammatione, verborum tumore [32]), grandiloquentia, orationis elatione ipsam quasi dei laetitiae auctoris naturam exprimeret. Inter omnia enim deorum sacra ea, quae ad Bacchum pertinebant, maximo cum effusione agebantur, deumque, cujus potens numen in naturae vicissitudinibus venerabantur, nascentem verno tempore non minus effusa excipiebat laetitia, quam luctus solutus morientem autumno sequebatur [33]). Cantuum autem, qui, sive a majoribus erant traditi, sive ex tempore ab agresti juventute fundebantur, in Bacchi honorem cani solebant, ut quasi ab ipso dei numine inflatus furor proprius erat, ita sobrium quodque ac tenue ab iis erat alienum [34]). —

Quare Epicharmus, *οὐκ ἔστι διθύραμβος*, ait, *ὄκχ ὕδωρ πίῃς* [35]). In hac innata et insita forma dithyrambus

per longum tempus perstitit, antequam ab agrestis vitae angustiis ad publica certamina, a carminibus arte carentibus ad artem est translatus. In qua translatione ut laetissimi floris semina inerant, ita ingentia latebant vitia. Nam in hoc omni poesis genere summae mirum in modum vires quasi natura insitae sine cultu latebant, ad quas modo veri perfectaeque pulchritudinis speciem sequentis poetae ars et manus accederent, summa et excelsissima prodire necesse erat, atque eadem ad detortissima perverti, si ea deesset moderatio ac temperantia, quae vel audacissimos animi motus contineret omniumque partium consensione ejus, quod vere pulchrum est, efficeret speciem. Ea autem quam dixi partium omnium consensio eorum, qui Pindari aetate et ante eum dithyrambo operam dederunt, carminibus inerat summa; nam ita omnia illa aetate congruentia quadam continebantur, ut cum rebus optime conveniret oratio, neve quae levia aut exilia natura essent, efferentur ea et amplificarentur verborum splendore, aut rerum gravitas deprimeretur orationis tenuitate et minueretur. Sicut vero priscum illud arteque carens dithyrambicum carmen sine certa lege fluebat, ita summi illi poetae, quum extra legem solutique ire viderentur, tantum aberat ut legi ulli adversarentur (nam quae erat lex aut regula proposita?), ut ipsi quasi pro lege et regula sibi essent.

Pindarus igitur, ut unde sumus egressi revertamur, in dithyrambis a novis verbis non abstinuit, eamque rem, quod erat ejus sublime ingenium, quamquam paucae exstant illius dithyramborum reliquiae, laudi magis, quam vituperationi ei fuisse, ex reliqua ejus arte colligimus. Nam ita ferebat rei natura, ut poetae illi clarissimi, Pindarus, Aeschylus, alii, qui viam quasi posteris munierunt ac prope perfecta artis exempla pro-

posuerunt, non in vulgaris sermonis egestate et angustiis acquiescerent, sed ipsa cogitationum magnitudine et novitate ad novam orationem ferrentur. — In illo autem floris fastigio artem constare non potuisse consentaneum est. Nam cum apud omnes tum apud Graecos ars poetica ita ex communi vita rebusque publicis pendebat, ut omnium, quae in illa aut in meliorem, aut in pejorem statum converterentur, particeps facta effloresceret cum crescentibus, laberetur cum labentibus. Nullum autem poesis genus vitae communis mutationes et conversiones magis esse expertum magisque aetatis ejus, qua floruit maxime, expressisse effigiem dixerim, quam dithyrambicum. Quo fit, ut in communi omnium Graecorum rerum naufragio etiam dithyrambicae artis in ipso flore ruina appareat. Nam sicut proxime post funestissimum illud bellum Peloponnesiacum, quod Graeciae incendio suo correptae tantorum malorum stirps fuit, novaque et inaudita vitia procreavit, latentia in lucem protulit, rerum omnium et publicarum et privatarum vincula solvi atque pro legum veterumque institutorum reverentia effrenata plebis licentia gubernare rempublicam coepit; sic eodem tempore in arte poëtica ita omnia per dithyrambographos maxime soluta sunt, ut abjectis pristinae artis vinculis praecipites poetae ruerent, novum quodque arriperent, pro aeternis artis legibus sua singuli arbitria sequerentur [36]). Effrenata illa poetarum licentia, quidquid firmum aut constitutum a majoribus esset spernentium, cum in aliis rebus, tum in novorum verborum captatione cernitur, ad quae non necessitate quadam, sed solo novarum rerum studio ferebantur. Neque enim posterioris aetatis dithyrambographi hanc excusationem habebant, quod generi poetico operam navarent orationis novitate insigni; nam quod maximum erat in dithyrambopoeo, ut incitatae illi

dityrambicae orationi pares subjiceret sententias, id neglexerunt, tantumque aberat, ut e rebus effloresceret et redundaret oratio, ut de rebus parum curantes inani magnificorum verborum sonitu gaudere poetae viderentur [37]). Nam poetae, ubi ingenio abundare desierunt, ad simulationem confugientes quam imitando consequi poterant spernebant laudem summaque ope enitebantur, ut sine cujusquam similitudine suam quandam dicendi formam expressisse viderentur. — Quum vero sublimem priscae musae elationem consequi non possent, affectatos animi motus pro eo substituebant, quos necesse erat, quia erant ficti, in furorem insaniamque verti [38]). Omnino illa aetas lyricae poesi minime favebat. Nam nimiae hominum novarum voluptatum cupiditati pravoque et perverso pulchri sensui nonnisi novae et inauditae res satisfaciebant, quae sensus quasi titillarent animosque voluptate permulcerent. Itaque communi studio omnes illius aetatis poetae lyrici eo contendebant, ut praesentem vulgi plausum ferrent, quare ad omnia compositionis artificia descendebant atque alter alterum et rerum novitate et affectato poetico furore et inauditorum vocabulorum studio et sermonis tumore verborumque pompa [39]) superabant.

Talem lyricae poesis conditionem si non fictam, sed veram depinximus, jam eo pervenimus, ut de Philoxeni virtutibus recte judicare possimus. Quo postquam perventum est, vereor, ne ipsa illa laus, qua prae ceteris Antiphanes Philoxenum ornavit, in vituperationem vertatur. Nam verbis ubique propriis novisque uti quid fuit aliud, nisi talium rerum pravum studium, quas neglectis priscis perfectisque artis exemplaribus non aliunde se petiisse, sed per se invenisse, quasque soli sibi esse proprias posset gloriari.

Sed dixerit fortasse quispiam, nos fallaci usos

judicio torquendo inque pejus vertendo nanc maxime sententiam ex simplicibus illis Antiphanis verbis extricasse. At non minus quid voluerit dicere, quam quid vel nolenti exciderit videndum est, quaeque lateant in verbis non minus investigandum, quam quae aperta in omnium adspectu jacent respicienda sunt.

Ac si propuis accesseris, quis Antiphanem credat illis maxime verbis usurum atque illud tanta cum laude de Philoxeno fuisse praedicaturum, nisi apertum ille ac manifestum studium in hac ipsa re collocasset, ut novus ubique atque suus in dicendo videretur. Et hoc ipsum est quod reprehendimus, non novorum verborum usum, sed cum affectatione abusum. Praeterea quantum, quaeso, ei tribuendum esse putatis, cui vel prodigus in laudando admirator praeter nova verba aut nihil aut paucissima tribuerit? —

Neque idem omnes de Philoxeno existimarunt. Nam homines artis intelligentissimi, qui ut priscae comoediae viri, praesentes atque integris oculis inanem dithyrambographorum grandiloquentiam intuebantur, aut qui satis longo temporis intervallo ab illa aetate aberant, ut nulla re perturbati libere judicare possent, ut Dionysius ille Halicarnassensis (cf. de comp. voc. c. 19), ita de Philoxeno judicant, ut ne nimias ei impertiamus laudes cavendum sit. — Plato quidem comicus quantum ei tribueret Phaone fabula docuit, in qua celebratissimi illius Philoxeni carminis, quod *Δεῖπνον* inscriptum erat, ita exilitatem et siccitatem perstrinxit, ut nova quaedam coquendi praecepta versibus illum inclusisse fingeret [40]), ac longe abest, ut nugarum illarum, quibus ornare rem vilissimam poeta sibi visus est, novitatem Philoxeno invideamus. Sed quod fusius infra de Convivio illo disputaturi sumus, satius duximus indicare, quam pluribus, quid de illo poemate statuamus, persequi. Non

melius autem, quam Plato, Aristophanes de Philoxeno judicasse videtur, qui nobilissima ejus carmina, in Pluto (v. 290) Cyclopem, in Ecclesiazusis [41]) Convivium, peragit atque in hac quidem fabula nova illa verborum monstra perstringit, quae et Philoxeno et ceteris dithyrambopoeis ambiguam comparaverunt gloriam. Antiphani autem hoc dat excusationem, quod poetarum ipsi aequalium, qui alienis ornati bonis [42]) misere carmina condebant, tanta erat miseria, ut ex eorum collatione ad superiorum admirationem duceretur. Nam post tam praecipitem rerum delapsum integrum sanumque judicium servari vix poterat, atque, qui est hominum mos, ut ex praesenti miseria ad praeteritarum rerum memoriam confugiant, illi ipsi, qui aliquid priscae integritatis retinuit, proxima quaeque, modo novissimis rebus meliora sint, bona perfectaque videri solent. —

De metrorum, quibus Philoxenus cum ceteris dithyrambographis usus sit, ratione postquam a Viris doctis accuratissime disputatum est (cfr. Berglein. p. 27 sq.), pauca monuisse vel potius repetiisse satis est. Numeris enim Philoxenus, quantum quidem ex dithyramborum fragmentis cognosci potest, usus est non admodum impeditis nec contra leges fictis, sed varie ad libidinem mixtis atque sine ulla intermissione continuo et leviter fluentibus. Hae sunt illae *ἀναβολαὶ* apud Aristot. Rhet. I, 9 init. (*λέξις εἰρομένη καὶ τῷ συνδέσμῳ μία, ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί. λέγω δὲ εἰρομένην, ἥ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ᾽ αὑτὴν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ*) a dithyrambopoeis antistropharum loco receptae (Male Aristotelis locum intellexit Ulrici. Gesch. d. hell. Lit. II, p. 592). Talia metra ab ea pulchritudine et gravitate, qua priorum lyricorum metra insignia sunt, abesse longissime non est quod moneam. Veterum enim praestantissimos, ut Pindarum,

judicio torquendo inque pejus vertendo hanc maxime sententiam ex simplicibus illis Antiphanis verbis extricasse. At non minus quid voluerit dicere, quam quid vel nolenti exciderit videndum est, quaeque lateant in verbis non minus investigandum, quam quae aperta in omnium adspectu jacent respicienda sunt.

Ac si propius accesseris, quis Antiphanem credat illis maxime verbis usurum atque illud tanta cum laude de Philoxeno fuisse praedicaturum, nisi apertum ille ac manifestum studium in hac ipsa re collocasset, ut novus ubique atque suus in dicendo videretur. Et hoc ipsum est quod reprehendimus, non novorum verborum usum, sed cum affectatione abusum. Praeterea quantum, quaeso, ei tribuendum esse putatis, cui vel prodigus in laudando admirator praeter nova verba aut nihil aut paucissima tribuerit? —

Neque idem omnes de Philoxeno existimarunt. Nam homines artis intelligentissimi, qui ut priscae comoediae viri, praesentes atque integris oculis inanem dithyrambographorum grandiloquentiam intuebantur, aut qui satis longo temporis intervallo ab illa aetate aberant, ut nulla re perturbati libere judicare possent, ut Dionysius ille Halicarnassensis (cf. de comp. voc. c. 19), ita de Philoxeno judicant, ut ne nimias ei impertiamus laudes cavendum sit. — Plato quidem comicus quantum ei tribueret Phaone fabula docuit, in qua celebratissimi illius Philoxeni carminis, quod *Δεῖπνον* inscriptum erat, ita exilitatem et siccitatem perstrinxit, ut nova quaedam coquendi praecepta versibus illum inclusisse fingeret [40]), ac longe abest, ut nugarum illarum, quibus ornare rem vilissimam poeta sibi visus est, novitatem Philoxeno invideamus. Sed quod fusius infra de Convivio illo disputaturi sumus, satius duximus indicare, quam pluribus, quid de illo poemate statuamus, persequi. Non

melius autem, quam Plato, Aristophanes de Philoxeno judicasse videtur, qui nobilissima ejus carmina, in Pluto (v. 290) Cyclopem, in Ecclesiazusis [41]) Convivium, peragit atque in hac quidem fabula nova illa verborum monstra perstringit, quae et Philoxeno et ceteris dithyrambopoeis ambiguam comparaverunt gloriam. Antiphani autem hoc dat excusationem, quod poetarum ipsi aequalium, qui alienis ornati bonis [42]) misere carmina condebant, tanta erat miseria, ut ex eorum collatione ad superiorum admirationem duceretur. Nam post tam praecipitem rerum delapsum integrum sanumque judicium servari vix poterat, atque, qui est hominum mos, ut ex praesenti miseria ad praeteritarum rerum memoriam confugiant, illi ipsi, qui aliquid priscae integritatis retinuit, proxima quaeque, modo novissimis rebus meliora sint, bona perfectaque videri solent. —

De metrorum, quibus Philoxenus cum ceteris dithyrambographis usus sit, ratione postquam a Viris doctis accuratissime disputatum est (cfr. Berglein. p. 27 sq.), pauca monuisse vel potius repetiisse satis est. Numeris enim Philoxenus, quantum quidem ex dithyramborum fragmentis cognosci potest, usus est non admodum impeditis nec contra leges fictis, sed varie ad libidinem mixtis atque sine ulla intermissione continuo et leviter fluentibus. Hae sunt illae *ἀναβολαὶ* apud Aristot. Rhet. I, 9 init. (*λέξις εἰρομένη καὶ τῷ συνδέσμῳ μία, ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί. λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτήν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ*) a dithyrambopoeis antistropharum loco receptae (Male Aristotelis locum intellexit Ulrici. Gesch. d. hell. Lit. II, p. 592). Talia metra ab ea pulchritudine et gravitate, qua priorum lyricorum metra insignia sunt, abesse longissime non est quod moneam. Veterum enim praestantissimos, ut Pindarum,

Stesichorum, quamquam varietatis studio ductos longiores fecisse periodos atque in multa eas membra divisisse Dionysius Hal. (de comp. voc. c. 19) dicit, est tamen in maxima varietate modus quidam et continentia, atque vel incitatissimis animi motibus constantia quaedam suffusa est, velut undis fluctuantibus in imo mari summa tranquillitas esse dicitur. Hanc, quam admiramur, tranquillitatem, constantiam, moderationem dithyrambographi omnino aspernabantur nullisque vinculis impediti praecipites ferebantur. Pulchrum autem esse nihil potest, nisi quod certis finibus continetur; quos si quis migrat, in deformitatem incidit. Cfr. omnino Boekh. de metr. Pind. p. 273 p. 199 sq. p. 294, ubi de morali indole rhythmorum et metrorum et de diligentia, quam poetae optimi in eo posuerint, ut convenientia sententiis metra et numeros deligerent, plura invenies. —

Sed haec satis de poeticis Philoxeni virtutibus, quas (ut eorum, quae disputavimus, summam colligamus) non maximi nos facere fatemur, quamquam laudanda non defuerint. Neque enim negaverim, Philoxenum et quadam sermonis proprietate et ingenii facilitate excelluisse et versicolori quadam colorum varietate carmina ornasse; hoc vitupero, quod, quae laude digna in eo fuerint, in parvis potius, quam in magnis rebus cernatur, fulgeantque magis, quam soliditate commendentur, denique quod ornare singula floribusque conspergere magis poetae curae fuerit, quam in magnas res dignasque poeta totam ingenii vim et sollertiam convertere.

Jam ad alteram quaestionem transeundum est, quid in re musica Philoxenus praestiterit. Qua in re facillimum est, quae de Philoxeni meritis a veteribus memoriae sunt prodita, ea repetere; judicare de iis difficillimum. Namque quum alius rei alicujus adspectus sit,

prout hinc vel illinc eam intuearis, quumque judicii regula non magis in ipsa re, quam in ejus, qui judicat, animo posita sit, unde proficiscamur ante omnia videndum est. Cavendum autem quam maxime esse nobis videtur, ne nostro de rebus musicis judicio tanquam unice vero ac perfectissimo absolutam fidem vindicemus (cf. Boekh. de metr. Pind. p. 240). Constat enim, Graecos de rebus musicis longe aliter statuisse, quam nos post tantas rerum vicissitudines statuere soleamus. Nos enim artem musicam liberam esse solutamque vinculis statuimus atque iis solis finibus contineri, quos ipsa sibi constituerit; Graeci non legibus tantum a republica sancitis eam coercuerunt, ne extra fines libera vagaretur, sed arctius etiam moribus et indole gentis propria contineri existimabant [43]). Proprium autem Graecae gentis erat, quae firma solidaque aut majorum more constituta aut ipsi gentis ingenio radicitus innata essent, iis, quae a singulis essent inventa aut excogitata, potiora habere, arbitrio (quam nostra aetas inflatis buccis libertatem esse jactat) nihil relinquere. Unde fit, ut ne a musicis quidem ea vellent vocibus nervisque cani, quibus ipsi soli aut acerbe aut suaviter essent affecti, sed ea, quae omnium pariter animos tangerent omniumque in pectoribus quasi resonarent, ita repeti, ut sua, non aliena audire omnes sibi viderentur. Pariter poetarum, qui lyrici vocantur, non is magnus ac perfectus habendus est, qui immodica sui aestimatione ductus se suasque res aequalibus venditat, sed is, qui ea est moderatione atque tam parum sui cupidus, ut ad intimam gentis suae mentem decendat et ea sequatur, quae ab illa in imo animi recessu sentiuntur et cogitantur repetatque integra et aptis verbis eloquatur. Talis igitur musica, quae ipsa gentis indole et vita tanquam firmissimo fundamento nisa ab ipsis diis, ne res huma-

nae corrumperentur, data esse hominibus videbatur (Plat. de legg. II, p. 654), ad mores tota pertinebat ideoque duabus maxime rebus arctissimo vinculo inter se conjunctis aptissima erat, deorum cultui et juventutis educationi (Plut. de mus. c. 27). Nihil puerorum animis ad honestatem et virtutem fingendis aptius Graecis esse videbatur, quam musica, quod, ut Plato (Repl. p. 401 D) dicit, rhythmus et harmonia in intimum intrarent animum maximaque vi eum afficerent et decorum redderent. Ex hoc intelligitur, cur Graeci tanta cum constantia in ea musicae forma, quae a majoribus tradita et vetustate sancita esset, persistendum esse censuerint, et tanta cum severitate eos prohibuerint, qui sua inventa inferre in musicam conarentur (id quos nos ab excolenda arte alienissimum esse arbitramur), non quo nimii fuerint temporis acti laudatores, sed quia cum musica ipsam reipublicae formam mutatum iri recte intellexerunt (Plat. repbl. p. 424 C). Quamquam antiquis etiam temporibus mutata non pauca in re musica sunt et ab hominibus quidem, quos optime de ea meritos esse veteres jactabant, ut a Terpandro, Alcmane, Stesichoro [44]); sed eae erant mutationes, quas, quum a pristina pulchritudine, constantia, honestate, simplicitate, quibus antiqua musicae genera insignia erant [45]), non desisterent, respublica sua auctoritate sancire non dubitaret, ita ut non singulorum hominum inventa, sed totius populi propria esse viderentur. Quo magis autem musicae fundamenta in rebus publicis [46]), in more majorum, denique in sacrarum rerum religione posita erant, eo majorem fieri rei musicae commutationem et conversionem necesse erat, postquam vincula illa, quibus antea continebatur, solvi et subduci fundamenta coeperunt. Libera quidem inde facta eo pervenisse videbatur, ut nonnisi iis, quas ipsa constituisset, legibus

uteretur, sed, quum priscis temporibus ex earum ipsarum rerum, quibus serviebat, sanctitate vires nervosque accepisset, postea soluta singulorum hominum arbitria sequi et rectore quasi carens fluere coepit. Quo factum est, ut Graecorum intelligentissimi, comicos dico inque primis Platonem, qui firmi aliquid solidique non arte factum aut hominum libidine natum, sed aeternis legibus constitutum subesse oportere omnibus rebus intelligerent, novam musicam jure meritoque reprobarent atque arcendam a civitate censerent. Ingens autem illa musicae conversio, qua flores illos, quos musica aperuerat, non dixerim justo modo secundam naturam ad maturitatem pervenisse, ima nimia frondium undique pullulantium, quas nulla manus compescebat, luxuria oppressos ac prope exstinctos esse, in illam aetatem incidit, qua dithyrambus maxime florere atque omnia poeseos genera colore suo tingere coepit [47]). Illo igitur tempore, quo omnia Graecarum rerum fundamenta solvi, pristina simplicitas, continentia, morum integritas, pietas, religio tolli ex animis coeperunt, poesis etiam et musica labis non immunes manserunt, sed ita mutatae sunt, ut vel maximo splendore vitia tegere non possent. Certissimum autem corruptelae signum hoc est, quod eae res, quibus secundarius locus a veteribus jure datus erat, ita magis magisque excoli et amplificari coeperunt, ut primarium sibi vindicarent. Poesin enim antiquitus tanquam comites et adjutrices sequebantur saltatio et musica; de saltatione infra dicemus; ex musica autem, quae, postquam sui quasi juris facta est, regno poesin ejecit, quantum illa detrimenti ceperit, satis dici vix potest.

At ne ab ea via, qua nobis ingrediendum est, aberrasse videamur, redeamus ad Philoxenum. In eo enim, in media illa rerum Graecarum conversione nato

et educato, quantum ad musicam ea pertinuit, consentaneum est et vitia aetatis et virtutes, si ullae fuerunt, mixta infuisse. Nos de Philoxeni meritis disputaturi quid sit quod vituperatores potius ejus, quam admiratores sequamur, noli mirari; cur aliter sentire non possimus, ex iis, quae de universa aetatis illius indole aut disputata sunt aut disputabuntur, apparebit. Philoxenum igitur comici Graeci et Plutarchus, qui de rebus Graecorum musicis et plurima et memoratu dignissima posteris tradiderunt, non alio loco habent, quam ceteros illius temporis dithyrambicos poetas, Melanippidem [48]), Cinesiam [49]), Phrynin [50]), Timotheum Milesium [51]), quos certatim in corrumpenda musica se excepisse pristinamque simplicitatem, castitatem, gravitatem omnino ab ea detraxisse illi auctores sunt [52]). Plutarchus enim de mus. c. 12, postquam Terpandrum, Polymnestum, Thaletam, Sacadam, qui non pauca in musica novarunt, ab ea veteris musicae specie, quae quasi fundamentum atque pro exemplo posteris fuit, nunquam decessisse dixit, ita pergit: *Κρέξος δὲ καὶ Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος καὶ οἱ κατ᾽ αὐτὴν τὴν ἡλικίαν γεγονότες ποιηταὶ φορτικώτεροι καὶ φιλόκαινοι γεγόνασι, τὸν φιλάνθρωπον καὶ θεματικὸν νῦν ὀνομαζόμενον (τρόπον) διώξαντες· τὴν ὀλιγοχορδίαν καὶ τὴν ἁπλότητα καὶ σεμνότητα τῆς μουσικῆς παντελῶς ἀρχαϊκὴν εἶναι συμβέβηκεν.* Plutarchi sententia Platonis, gravissimi veteris musicae vindicis, auctoritate confirmatur. Plato enim de legg. p. 659 haec dicit: *Συγχωρῶ δὴ τό γε τοσοῦτον καὶ ἐγὼ τοῖς πολλοῖς, δεῖν τὴν μουσικὴν ἡδονῇ κρίνεσθαι, μὴ μέντοι τῶν γε ἐπιτυχόντων, ἀλλὰ σχεδὸν ἐκείνην εἶναι Μοῦσαν καλλίστην, ἥτις τοὺς βελτίστους καὶ ἱκανῶς πεπαιδευμένους τέρπει, μάλιστα δὲ ἥτις ἕνα τὸν ἀρετῇ τε καὶ παιδείᾳ διαφέροντα κτλ.* Rectissime igitur nec poetae nec musico aequalium judicium negligendum

esse existimat; sed non eorum esse, de musicae virtutibus judicare, qui forte occurrant, sed eorum, qui virtute et humanitate ceteros praestent. Quod in ea maxime tempora cadit, quibus publicae res aegrotare coeperunt. Aegrotantibus autem rebus publicis hoc maxime vulgi proprium est, de summis et difficillimis rebus statuere et sententias ferre, et quo minus homines mediocres judicare de magnis et excelsis rebus possunt, quia ad suam mediocritatem omnia referunt, eo audacius et insolentius manus iis inferunt et, quae vere pulchra sunt, sordibus suis polluunt (Plat. de legg. p. 700; edt. Winkelm. p. 100). Philoxeni autem aetate, qua omnia in civitate per populum gerebantur, vulgus etiam in res ad artem pertinentes dominatione potitus poetas et musicos, quorum erat docere populum atque ad honestatem fingere hominum animos, se suasque libidines (Plat. legg. p. 660) sequi coëgit atque etiam ingenio eminentissimos ita corrupit, ut, quum plausus clamoresque, quales in theatris fieri solent, solos respicerent, quid pulchrum et justum in musica esset, omnino obliviscerentur. Haec est θεατροκρατία illa, quam ab antiquis temporibus alienissimam tanquam corruptricem antiquae et purae musicae veteres incusant. Prioribus enim temporibus auctore Plutarcho [53]) Graeci θεατρικὴν illam, quam dicebant, musicam, quae a sacris rebus abducta solam hominum delectationem spectaret, omnino ignorarunt; contra postea tantum aberat ut ad formandam vitam juventutis moresque fingendos pertineret, id quod antea effecerat, ut quicunque studia sua in musica ponerent ad scenicam illam se converterent (Plut. de mus. c. 27). Nam ea sola praesentem vulgi plausum ferebat, id quod maximum videbatur; tantopere autem ars, quam divino quodam afflatu nasci dicunt, plebis serva facta est, ut Syracusis et in magna

Graecia ex populo quicunque adessent, de virtutibus artificum sententias ferrent deque certaminibus inter poetas aut musicos institutis penes plebem esset discernere (Plat. de legg. p. 660). Quibus rebus factum est, quum vetustae musae simplicitatem ineptae et male eruditae vulgi aures spernerent, gravitatem emolliti mores sustinere non possent, ut ad varia artificia detortissimaque sonorum et harmoniarum lenocinia musici confugerent ac nova quisque inventa in musicam inferrent, ut quam maxime prima specie auditorum sensus voluptate impellerent acerrimeque commoverent. Quibus rebus, quum vulgi libidinem tanquam regulam sequeretur, Philoxenus sicut ceteri illius aetatis musici φιλάνθρωπον quidem, h. e. nitidam vulgoque commodam et jucundam musicam reddidit, sed abjecta pristina ejus simplicitate et gravitate vires nervosque fregit etque ex sublimi et virili fractam fecit et exsanguem garrulamque et effeminatam [54]). Nam a moribus tota musica pendet; effeminatis autem sensibus morumque mollitiei et animorum languori nonnisi mollis et effeminata laxaque musica convenit. —

Quo sensu Plutarchus l. l. Philoxenum θεματικὸν τρόπον secutum esse dixerit, non clarum est. Fuerunt qui illud θεματικὸν de majore pretio musicis posito dictum esse vellent, quae res quomodo ad musicae corruptionem pertinere potuerit non intelligo (Bode Gesch. d. hell. Dichtk. II, p. 316). Sagacius praeterea quam verius esse puto, quod Berglein. p. 20 vocabulum illud »modum musicum significare arbitratur vulgatum, pervagatum, in quem omnes artifices velut in θέμα, h. e. in modum primitivum convenerint quique per omnem musicam permearit et toti musicorum prosapiae communis fuerit.« Proxime autem ad verum accessisse videtur Ulricius (Gesch. d. hell. Dichtk. II, p. 597), θεματικὸν

illud de vocum cantu saepius intermisso atque post interjectos organorum cantus denuo excepto dictum esse putans. Quod deinde quoties ab organis musicis ad vocis cantum partes ex ordine deferrentur, toties novo rhythmo, nova harmonia musicos uti solitos esse Ulricius putat, verissimum esse mihi videtur. Quod quidem ab antiquae musica indole alienissimum, posterioris ingenio quam maxime conveniebat. Neque enim prioribus temporibus licitum fuerat harmonias et rhythmos variare aut a praescripta nervorum tensione (a qua moralis modorum musicorum indoles pendebat, Boekh. de metr. Pind. p. 238) discedere [55]; nam veteres musicam, cujus esset ad virtutem animos informare fortesque reddere, non perturbare atque libidines incitare, quum maxima esse constantia, soliditate, gravitate, severitate vellent, defendebant ab ea omnia, quae efficerent, ut perturbata illa, cui quam maxime studebant, motus aequabilitate flueret, vehementissime autem id retinendum putabant, ne aut, quae natura diversa essent, miscerentur, aut ab eo, quod cujusque musici generis proprium esset, deflecteretur. Contra Philoxenum, Timotheum, Telestem, quos tanquam principes musicorum illius aetatis Dionysius Hal. (de comp. voc. 19) nominat, et modos musicos et melodias ita audimus variasse et miscuisse, ut in eodem carmine non solum variis uterentur modis, sed ne recusarent quidem ab enharmonico ad chromaticum genus et diatonicum transire (id quod summopere sanas aures offendere videbatur), quaeque ad tibiam pertinerent, ea ad citharam transferre, denique diversissima permiscere et omnia in omnia fundere [56]. Tanta enim erat illius aetatis inconstantia, ut ne in arte quidem musica quod sibi constaret ferre posse videretur; immo maximo plausu mixta illa genera prosecuta est, et posteris etiam ita placuerunt, ut nihil magis in

Philoxeno Antiphanes laudaret, quam quod carmina ejus mirum in modum *μεταβολαῖς* et *χρώμασι*, h. e. mille varietatibus colorumque mutationibus tam belle mixta essent [57]). —

Propter rei similitudinem non alienum ab hoc loco esse puto, de novo illo invento quid sentiam dicere, quod in cyclios choros Philoxenus intulit. Plut. de mus. c. 30: *καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς μνημονεύει Φιλοξένου καί φησι, ὅτι εἰς τοὺς κυκλίους χοροὺς μέλη εἰσηνέγκατο.* Ab his cycliis choris, quamquam ad mutabilem multasque vicissitudines expertam dithyrambicam poesin pertinebant, quantamcumque iis infuisse licentiam putamus, tamen certe religio quaedam, quum proxime ad res sacras pertinerent, musicorum manus arcuit, quominus a pristina et innata simplicitate et aequabilitate, quibus insignes sine dubio erant, omnino desciscerent. Praeterea multorum simul canentium voces non ea sunt facilitate nec tam flexibiles, ut aut ejus, qui solus canit, aut organorum varietas et mobilitas a choro aequari canendo possit. Quid igitur est, quod Philoxenus dicitur *μέλη* in cyclios choros intulisse? Verba illa *μέλη εἰς τ. κ. χ. εἰρηνέγκατο* ita, ni fallor, comparata sunt, ut non ad ipsam cycliorum chororum rationem ac formam aliqua ex parte mutatam pertinere possint; imo tale inventum fuisse videtur, ut integris iis, quae ad chorum proprie pertinerent, partibus novum quiddam atque a choro alienum illis inferretur. Quod quale fuerit circumspicientes, quum et ad pluralem numerum ejus quod est *μέλη* (neque enim vocabulum *μέλη* de ratione quadam canendi, sed de ipsis canticis dictum esse puto) et ad verbi *εἰςφέρεσθαι* vim animum advertimus, facile eo deducimur, ut Philoxenum canticis, quae nec canerentur a choro, neque omnino ab eo penderent, sed suis quasi legibus uterentur, interpositis

chori cantum distinxisse majoremque ei varietatem tribuisse cogitemus. Neque eam rem ab artis musicae progressu abhorrere puto. Quamdiu enim poesis dithyrambica totius quasi populi erat atque ex communi vita pendebat, civium quicumque vellent pro sua quisque facultate dithyrambum canebant; postquam vero tanta sonorum et melodiarum varietate misceri cantus coepit, ut major quam hominum ex Graeco more liberaliter educatorum canendi peritia ad chorum palam edendum desideraretur, re omnino a natura ad artem translata, artifices adhiberi coepti sunt, qui omni studio in musica collocato ipsam canendi artem profiterentur. Et quum vel ita esset, quod musicorum licentiam coerceret (*μεταβάλλειν γὰρ πολλὰς μεταβολὰς τῷ ἑνὶ ῥᾷον ἢ τοῖς πολλοῖς*, Aristoteles aii Probl. XIX, 15)[58]), Philoxenus quasi divisisse cantum atque difficillimas partes, quae summam desiderarent exercitationem et peritiam, a choro ad singulos eosque peritissimos artifices detulisse videtur [59]).

Ad illam, quam hucusque adumbravimus, novam musicae rationem dithyrambicos necessitate quadam latos esse dixeris. Nam dithyrambi tanta erat incitatio et effusio tantaque motuum varietas, ut non sufficeret pristina musicae simplicitas ad affectionum illam abundantiam nervis et tibiis adaequandam. Ipsa autem musica senescente poesi eum in modum exculta et aucta erat, ut servire poesi amplius nec posset nec vellet, sed aut parem aut superiorem locum sibi vindicaret; eoque libentius dithyrambici musicae ope utebantur, quum quid poetis deesset, tegere musicorum artificia, aut aequari poetarum vitia illorum virtutibus posse viderentur.

Invaserat autem antiquitus Graecam musicam novum quiddam atque a Graeca gente primo alienum, neque inter Graecos natum, quod quantum ad mutandam et

amplificandam musicam pertinuerit, dici vix potest: usum tibiarum dico. Tibiarum enim, quae non in ipsa Graecia natae, sed ex Phrygia eo delatae sunt, prae ceteris, quibus Graeci utebantur, organis hoc proprium erat, ut orgiasticum quiddam et patheticum haberent [60]) atque a reliquorum musicae generum simplicitate et severitate longissime abessent. Testis est Aristot. Polit. VIII, 7: *ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ Φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν, ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις· ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά.* Quo factum est, ut neque unquam tibiarum usus omnium Graecorum assensu comprobaretur (siquidem fuerunt, qui ea de causa ad Pythica certamina non adirent, quod ad ea tibicinibus aditus datus esset, cf. Plut. de mus. c. 21), et Plato (Repbl. p. 399 CD) omnino arcendas a republica tibias esse censeret, quippe quae solam voluptatem spectarent, aliud nihil respicerent (Gorg. p. 501 E). Quanta autem ad immutandam universam musicae rationem tibiarum vis fuerit, Plutarchus auctor est (de mus. c. 29), qui Lasum Hermoniensem tibiarum *πολυφωνίαν* secutum pristinam musicae rationem mutasse narrat, unde in ipsis tibiis semina quaedam majoris splendoris, varietatis, magnificentiae radicitus latuisse apparet. A tibiis igitur Plutarchus luxuriam illam sonorum ac varietatem, quam homines inter Graecos antiquae continentiae et moderationis studiosissimi omnino reprobabant, ita profectam esse arbitratur, ut ea, quae naturaliter insita tibiis essent, ad cetera musicae genera transferrentur, assentitque ei Plato (Repbl. p. 399 D), ea organa, quae maxima harmoniarum varietate aures demulcerent, tibiam imitata esse dicens. Tibia enim, cujus varia erant gerera, ut omnium instrumentorum musicorum maxime orgiasticum erat et patheticum, ita maxima sonorum varietate insignis erat, ideoque variis atque vel

universissimus animorum affectibus aptissima. Atque hoc ipsum est, quod veterum nonnulli, ut Plato, Pythagoras, qui tibias ὑβριστικόν τε καὶ πανηγυρικὸν καὶ οὐδαμῶς ἐλευθέριον τὸν ἦχον dicebat (cf. Jamblich. v. Pyth. c. 25, p. 93), tibiam, quod per se ipsa parum haberet continentiae et firmitatis nec meliorem redderet animum, imo multis cupiditatibus affectibusque repleret, tanto studio insecuti sunt. Atque etiamsi justo severius judicasse illi videantur, negari nequit, poesin multum ex nimio tibiarum usu detrimenti cepisse. Quo major enim tibiae erat facilitas ad varios animi affectus se fingendi et accommodandi, eo minus ad hominum animos permovendos poetica vi et spiritu divinoque illo priorum poetarum afflatu opus erat, quum, quod poesis antea valuerat, jam musica valeret paulatimque ob eam ipsam rem a poetis primae ad musicos deferri coepissent. Notissimum est illud Pratinae Phliasii hyprorchema, quod totum in incusandis tibiis versatur, quippe quae finibus suis egressae eum locum sibi vindicarint, qui vocum cantui esset: cantum enim a Musis regem esse constitutum, tibiam comitem ac servam; ebriorum tantum juvenum comissationibus tibiae esse praeeundum. Cfr. Athen. XIV, p. 617: Πρατίνας δὲ ὁ Φλιάσιος, αὐλητῶν καὶ χορευτῶν μισθοφόρων κατεχόντων τὰς ὀρχήστρας, ἀγανακτεῖν τινας ἐπὶ τῷ τοὺς αὐλητὰς μὴ συναυλεῖν τοῖς χοροῖς, καθάπερ ἦν πάτριον, ἀλλὰ τοὺς χοροὺς συνᾴδειν τοῖς αὐληταῖς. Commodissimam autem tibiam fuisse patet dithyrambepoeis, quos, quum ab animi tranquillitate longissime abessent, patheticum illud et orgiasticum, quodque acerrime animos commoveret et vehementissime incitaret, omnium maxime sectatos esse constat. Quo fit, ut et alios dithyrambicos poetas et Philoxenum ex eorum numero fuisse credamus, qui tibiarum cantui maximam operam darent. Neque enim sine causa Phi-

loxenum; puto ab Hermesianacte λωτοῦ πιστότατον ταμίην audire, nec temere factum esse, quod Plutarchus (de mus. c. 30) usque ad Melanippidis tempora tibicinas a poetis mercedem accepisse, inde ab eo id mutatum esse narrat. Imo utrumque de tibiis ita meritum esse statuo, ut cum aliorum tum illorum opera factum esse putem, ut tibiarum quidem cantus mirum in modum augeretur et perficeretur atque admirabili splendore illustraretur, poesis autem tibiarum strepitu opprimeretur et quasi obstreperetur. Quamquam de Melanippide quae dixi, non sine dubitatione dicta sunt. Idem enim ille, quem Plutarchus tam egregie de tibiis meritum esse narrat, ut liberasse eas ex poesis servitute videretur, ipsarum tibiarum irrisor exstitit et poema condidit, quo fabulam de Minerva tibiam repudiante repeteret[61]). Tibiarum tunc patrocinuim suscepit Telestes, qui, quum saepius in fragmentis ejus, quae exstant, tibiarum laudes insint, singulari prae aliis studio hoc musicae genus esse amplexus videtur. —

Extremum illud est, ne debita laude fraudare Philoxenum videamur, ut pauca adjiciamus, quae in ejus gratiam allata sunt. In tanta enim, quae inter omnes illius aetatis musicos fuisse videtur, vitiorum similitudine cavendum est, ne eum prorsus eodem, quo alios musicos, ut Phrynin, Cinesiam, Timotheum illum Milesium, numero habeamus. De ea re optime egit Berglein. p. 21, qui in hoc prospere versatus est, ut comicos Phrynide, Cinesia, Timotheo longe clementius atque indulgentius habuisse Philoxenum ostenderet. Quam ad rem probandam utitur notissimo illo Pherecratis comici fragmento, qui in fabula quadam ipsam Musicam introducebat toto corpore dedecoratam et enumerantem, quae a musicis Melanippide, Cinesia, Phrynide, Timotheo mala passa esset. In his quod Philoxeni mentio non

fit (nam verba illa Musicae (Plut. de mus. c. 30), quibus vituperari Philoxenum creditum est, Bergkium et Meinekium (Meinek. comoed. rell. II, p. 333) secutus Bergleinius non ad Philoxenum spectare, sed iis versibus, quibus Musa incuset Timotheum, inserenda esse recte existimat), honorifico silentio praeteriisse Philoxenum Pherecrates videtur. Cui rei velim equidem et vim suam tribuas neve nimium tribuas. Nam quod Philoxenus non eo processit audaciae, quo Timotheum illum processisse accepimus, qui ea fuit protervitate et insolentia, ut vel Athenienses novarum rerum studiosissimi dithyrambum ejus novae artis plenissimum sibilis exigerent (Plutarch. an seni sit gerend. resphl. p. 795 B), laus quidem est, sed non pura; siquidem aliud est cum bonis de praemio certare, aliud malos vitiis non aequare. Omnino musicae ratio, qualis tunc fuit, cum ea musicae conditione comparari potest, in quam nostris temporibus musicorum Franco-Gallorum, quos regnare in theatris rerumque ad scenam pertinentium duces ac principes esse prope dixeris, opera et auctoritate pervenit. Et in his fieri potest, ut puriorem unum alterumve prae ceteris et minoribus vitiis imbutum dicas; purum et integrum dices neminem. Ita Philoxenum, quamquam laudamus prae ceteris, non sine exceptione laudamus.

De Philoxeni Convivio et Cyclope.

Ex Philoxeni carminibus duo maximum aequalium plausum tulerunt, Cyclops et Convivium, de quibus operae pretium est paulo fusius disserere.

Convivii igitur, ut hinc ordiamur, haud exigua fragmenta ab Athenaeo servata sunt [62]. Sed quaesitum est, num a nostro Philoxeno conditum esset. Athenaeus

quidem, quem solum in hac re auctorem habemus, de poematis auctore ita sibi constat, ut, quoties carminis mentionem facit, toties a Cytherio profectum illud esse claris verbis dicat [63]), nisi quod uno loco aperte id Philoxeno Leucadio parasito tribuit [64]), altero ita de eo agit, ut incertum se haerere confiteatur, utrum dithyramborum poetae an Leucadio sit tribuendum [65]). Qua in re, quae est mala Athenaei fides, ullum esse horum verborum pondus negaremus neque dubitaremus Athenaeum, a quo diversissima confundi scimus [66]), erroris arguere, nisi Ulricius Cytherium non fuisse illius poematis auctorem affirmasset [67]). Cujus viri auctoritas ut accuratius rem intueamur efficit. Ac negari nequit, eorum sententiae, qui Leucadio carmen tribuunt, ejus loci, qui est apud Athen. IV, p. 146, forma speciem quandam veritatis imponi. Nam si illic Athenaeus, ut libr. I, p. 5 B, nullo praeterea verbo addito, Leucadium illum parasitum auctorem nominasset, pessime eum ea qua solet temeritate duorum hominum nomina confudisse diceremus; quod vero in inscitia se versari ipse confitetur, quominus verba ejus ut temeraria abjiciamus prohibet atque aliquid ponderis iis tribuere videtur. Ulricius igitur carmen a Cytherio profectum esse ea de causa negat, quod ejus fragmenta non multum aut nihil omnino prodant earum virtutum, quibus, quantacunque fuerint vitia, Philoxenea musa ornata fuisse videatur. Idem Bipparto visum est [68]). Is enim, praeterquam quod indignum dithyrambographi gloria poema esse existimat, ad Athenaei confugit autoritatem, quippe qui Leucadium illum parasitum eorum numero adjunxerit, qui de re cibaria carmina pepigissent. Qua in re vellem cautius egisset. Athenaeus enim eo, de quo agitur, (p. 5 B) [69]) eos recenset, qui *δείπνων ἀναγραφὰς* composuerint, Timachidam Rhodium, Numenium Heracleotem, Matreum

Pitanaeum, al.; alia autem, opinor, res est δείπνου ἀναγραφή, alia carmen, quod de re cibaria agit. Convivio autem descriptionem illo carmine, cujus fragmenta exstant, contineri quis neget? Leucadium igitur de re cibaria scripsisse neque Athenaeus dicit, nec, quod sciam, aliunde constat; Athenaeus illo loco nil nisi hoc dicit, notum illud Convivium esse Leucadii. Deinde quod Bippartus parasitum illum duo putat carmina pepigisse, alterum hexametris inclusum atque ὀψαρτυσίαν inscriptum, lyricum alterum atque sub titulo Δείπνου in publicum editum, vix cuiquam persuadebit. Athenaeum quidem de uno tantum Philoxeni (sive Cytherii sive Leucadii) carmine cogitasse idemque a Platone comico hominum risui datum atque propter rei levitatem ὀψαρτυσίας nomine notatum esse, ex ipsis Athenaei verbis, ni omnia me fallunt, luce clarius prodit. Jam unde profecta est quaestio, eo redire eam oportet. Exstat igitur Convivium ab Athenaeo uno loco Laucadio, plurimis Cytherio tribui, quaeque de carminis auctore ille tradidit, postquam numerata sunt, jam sunt ponderanda. Jam postquam res eo pervenit, ut num jure poema Cytherii nomine indignum habeatur quaerendum sit, curandum ante omnia est, ut nostrum judicium ad tempus ab illo cohibeamus. Nam certissima regula est in aequalium sententia. An quales Philoxeni virtutes, quanta vitia fuerint, ita cognitum habemus, ut ea cognitione tanquam pro regula uti liceat? An Antiphanis illa laude, qua Philoxenum prae ceteris ornat fragmenta, quae ex convivio exstant, omnino indigna sunt? Nonne novitas illa, quam Antiphanes laudat, et proprietas in illis reperitur? Nescis an et Ulricius et Bippartus nimium Philoxeni virtutibus tribuerint, quas quum carminis fragmentis non aequari vidissent, clari illius dithyrambographi nomen alienum ab eo esse statuerunt. At

quod **nobis** carmen non probatur, inde non sequitur, ut a Cytherio profectum id esse negemus; nam Philoxeni aequales quidem maximo cum plausu Convivium exceperunt eoque ipso professi sunt, se illustri nomine non indignum poema habuisse. In vulgi autem plausu et assensione magis quam in virtutibus tum poetarum laus et gloria posita erat. Accedit altera res, quae Convivium Cytherio tribui jubet. Nam fingamus carmen ab homine aliquo in literis levissimo et obscuro neque aut auctoritate aut nomine illustri misere fuisse conditum, qui factum esse putemus, ut tantum excitaret comicorum studium et corrumpere artem poeticam videretur? Scilicet comicos, quibus vitiis aetas laboraret recte perspicientes, non tam parvis fuisse animis crediderim, ut in levissimum quemque tanto impetu inveherentur; imo quum id agerent, ut pristinorum temporum integritatem posterorum perversae inclinationi opponerent, eos maxime homines easque res aculeis suis persecuti sunt, in quibus saeculi ingenium tanquam in speculo cerneretur. Denique gloriae ejus, quae carmen aliquod sequitur, aliquid certe ad auctorem redire solet: poetam autem Leucadium illum heluonem fuisse quis unquam audivit? cujus nomen obscuritate dignissimum nonnisi per narratiunculas quasdam posterorum oblivionem fugit. Quae quum ita sint, quin Cytherius Convivii auctor sit non dubito [70]). Athenaeus ut de Leucadio cogitaret, eadem res effecit, quae in dithyrambographum gulositatis famam contulit: [71]) nimirum festiva epularum descriptio nemini magis, quam helluoni, convenire videbatur.

Omnino aliter atque Ulricius de Convivii auctore statuit Berglein p. 68 sq. Is enim tantum abest, ut Cytherio Convivium addicere dubitet, ut ne concedat quidem Athenaeum de ea re dubitasse. Teste utitur

ipso Athenaeo, qui libr. I, p. 5, postquam eos recensuit, qui *δείπνων ἀναγραφὰς* scripserint, ita pergit: *Τοῦ Φιλοξένου δὲ τοῦ Λευκαδίου Δεῖπνου Πλάτων ὁ κωμῳδωποιὸς μέμνηται·*

Ἐγὼ δ' ἐνθάδ' ἐν τῇ ἐρημίᾳ cet.

et libr. IV, p. 146 aliquot Convivii versus repetiturus hoc utitur exordio: *Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ (εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδωποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου) τοιαύτην ἐκτίθεται παρασκευὴν δείπνου.*

Εἰς δ' ἔφερον κτλ.

Priore illo loco quatuordecim hexametri afferuntur ex Philoxeni, quem Leucadiüm illic Athenaeus dicit, Convivio petiti, quibus ita usum esse Platonem Bergkius [72]) statuit, ut comicus, quum ingeniosam illam ubertatem, qua Philoxenus (Cytherius) in Convivio res satis leves et propemodum indignas tractasset, a poesis divina specie abhorrere intellexisset, fingeret Philoxenum lasciva quaedam praecepta coquendi versibus comprehendisse. Bergleinius autem hexametros illos, quia ne levissima quidem similitudo iis cum illo Cytherii dithyrambo intercedat, non ad Cytherium dithyrambographum pertinere, sed recte ab Athenaeo ad Leucadium illum parasitum transferri arbitratur. Eum rei culinariae scriptorem fuisse et a Platone comico irrisum esse existimat. Bergkium autem vituperat, quod alterum Athenaei locum (IV, p. 146) male intellexerit. Quae vituperatio vereor ne ad ipsum redeat. Verba enim Athenaei non dubito quin hoc modo interpretanda sint: Philoxenus autem Cytherius (si quidem hic est, cujus Plato in Phaone meminit, non Leucadius) in Convivio hunc exhibet convivii apparatum. Haec igitur Athenaeus dicit: Recte equidem versus Convivii, quos repetiturus sum (*εἰς δ' ἔφερον κτλ*), ad Cytherium trans-

fero, si is homo, cujus Plato in Phaone meminit, Cytherius est Philoxenus, non Leucadius. Nam Athenaeum, quum versus aliquot ex Philoxeni Convivio repetiturus esset, non temere Platonis fabulae mentionem injecisse (id quod absonum foret), sed hanc Phaonis mentionem ad eos, qui ex Convivio afferuntur, versus aliquo modo pertinere per se patet. Hoc si tenemus, negari nequit, Platonem in Phaone poema uliquod *Δεῖπνον* inscriptum memorasse, versus autem illos, quos lyricis metris inclusos Athen. IV, p. 146 repetit, ad eundem poetam pertinere, quem Plato in fabula illa aculeis suis persecutus sit. Qui versus quum ex eo carmine petiti sint, quo Philoxeni nomen antiquitus inclaruit, totum carmen aut Cytherio, aut (siquidem ejus Plato in Phaone mentionem fecit) Leucadio tribuendum est. De hac re Athenaeus certi quid diceret non habebat. Jam quod non Cytherio Convivium tribuimus, sequitur inde, ut etiam hexametros illos (Athen. I, p. 5) aliquo modo ad eundem pertinere statuamus, nisi forte utriusque Philoxeni statuimus in Platonis fabula mentionem factam esse, a quo equidem longissime absum. Hexametri autem illi quomodo ad Cytherii poema pertinerent, Bergkius (cujus verba supra repetivimus) indicavit, quem errasse ne Bergleinii quidem sagacitas, qua ad refutandum illum usus est, nobis persuasit. Nam quod »isti poemati, quod recitetur apud comicum, ne levissimam quidem similitudinem intercedere cum dithyrambo illo« Bergleinius affirmat, cave ne temere ei concedas; aperte enim comicus, quid valeret Philoxeni carmen ostensurus, id egit, ut omnem poematis amplificationem, qua dithyrambographus rei levitatem texisset, ab ea detraheret, ac nuda quasi corporis vitia hominum risui daret: et quod ad totum attinet carminis colorem, qui omnino mutatus esse a comico videri

potest, Plato non formam carminis, sed argumentum quippe poeta indignum exagitare voluit; praeterquam quod nescimus, ad quam Convivii partem hexametri illi pertineant, quia nonnisi fragmenta illius poematis habemus.

At haec de auctore satis; quaeramus de tempore. Plato igitur in Phaone fabula, quam Ol. 97, 2 (a. 391 a. Chr.) docuit (cf. Meinek. hist. crit. comicor. Graec. p. 187), ad Convivium alludit, Aristophanes autem idem non obscure in Ecclesiazusis (quae Ol. 96, 4 docta esse creditur, quamquam de ejus tempore non certo constat) designat, unde anno circiter 393 a. Chr. poema Athenas translatum esse apparet. Carmen autem quod non rei magnitudine, sed ipsa levitate aetati levissimae commendaretur, nonnisi novitate ac recenti specie placere hominibus poterat. Nam Atheniensibus, quum dies nova procrearet, Atheniensibus, inquam, tunc omnium rerum ad literas pertinentium ducibus et principibus, vix crediderim id satisfecisse, quod aliis tritum ac vetus esset, neque profecto comici intra paucos annos idem carmen irrisione dignum habuissent, nisi recens a partu hominum animos permovisset. Itaque non multo ante Ol. 96, 4 Couvivium conditum esse statuo. — Si quis praeterea quo loco carmen natum sit quaerit, recte a Bergkio monitum est, Sicularum dapum id quasi memoriam repetere, quas adeo inclaruisse antiquitus constat, ut in proverbii usum abirent (Athen. XII, 34, p. 527. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 1, 18). In Sicilia autem eo tempore, quo Convivium conditum esse statuimus, sine dubio Philoxenus fuit; nam circiter Ol. 97, 1 Dionysii aulam adiisse eum verisimile est, et jam antequam eam adiret, in illa insula habitavit, in qua etiam praedium habuit (nam id quod Plutarch. de vit. aer. alien. tom. IX, p. 305 edt. Reisk.

narrat, ad posterius tempus pertinere nequit, quia Philoxenus relicta Dionysiaca aula Sicilia excessit). Fictum autem omnino Convivium illud, quod poeta describit, esse non videtur; imo ita totum carmen comparatum est, ut non in universum epularum delectationes depingat, sed certi cujusdam convivii, cui ipse praesens poeta interfuerit, memoriam repetere atque cum amico aliquo communicare videatur. Atque tam vigens est pigmentorum, quibus poeta usus est, flos et color, ut eo tempore appareat eum carmen condidisse, quo rerum memoria recens in animo haereret neque aliarum rerum novitate obscurata esset. Qua ipsa poematis ratione multum ei detrahitur, quod quum longo, ita equidem animo officior, ut poetae mihi videatur voluptati fuisse, quibus rebus summa cum voluptate fructus esset, earum memoria iterum quasi palatum permulcere. Quodsi similiter carminis lectio veteres commovit, ita tamen, ut ejusmodi palati quasi titillatio non fastidio, sed voluptati legentibus esset, non mirum est, quod inde non pauca ad malam Philoxeni existimationem redundarunt. Tale autem carmen, quum toti aetatis nil praeter voluptaria quaerentes inclinationi quammaxime conveniret, summo studio ab aequalibus exceptum esse cum ex ipsa rei natura colligere possumus, tum certos ejus rei testes habemus Platonem comicum et Aristotelem. Nam Plato in Phaone (ap. Athen I, p. 5) hominem introducebat in solitudinem se recipientem, ut solus per otium Convivii lectione gauderet; Aristoteles autem (ap. Athen. I, p. 6 D) homines depingit desidiosos novaque videndi et audiendi cupidissimos atque ita in literis versatos, ut nihil legerent praeter Convivium Philoxeni. Quo consilio Convivium ab utroque prae aliis carminibus sit memoratum, neminem fugiet: scilicet ut ipsa poematis levitas ostenderetur, quippe quae sola ineptorum homi-

num animos tenere posset. Et severis quidem judicibus probari omnino nequit. Tam exiguae enim carminis virtutes sunt, ut non mireris, quod a comico illo *καινή τις ὀψαρτυσία* appelletur. Namque quum indignum est ventre ad canendum incitari, tum eo minus eum laudabimus, qui in rerum, quas canit, exilitate et vilitate ita acquiescat, ut ne honestiorem quidem iis conciliet speciem aut decorem quendam ac nobilitatem addat. Nam poetica ornamenta, quibus amplificare et illustrare rem vilissimam poeta sibi visus est, speciosiora sunt quam pulchriora, neque ipsa rei aut venustate aut amplitudine atque divino quodam impetu, sed falso furore nata, eoque levius animos afficiunt, quo minus rei levitas tanto animi motu digna est [75]). Ita in Philoxeni Convivio idem reprehendimus, quod in toto posterioris dithyrambi genere: quod verborum copiam non rerum copia genuit, sed verborum splendor, quem traditum a majoribus promtum paratumque ad quemlibet usum habuisse poetas prope dixeris, ad res exiles et propemodum indignas translatus est, sine ulla rerum et verborum consensione. Ac Philoxenum quidem, quamvis verborum floribus consperserit orationem coloribusque pinxerit, nec tegere vitia verborum splendore, nec quae natura exilia sunt, augere ea et commendare orationis fuco et cincinnis potuit. Verissimum autem est Ciceronis illud, nihil esse tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitum inanem, nulla subjecta sententia. — Sed haec hactenus de Convivio. Cyclops [74]) autem sive Galatea (nam utrumque nomen ad idem carmen referendum est; Athen. I, p. 6 schol. ad Aristoph. Plut. 290) teste Aeliano (Var. Hist. XII, 44) pulcherrimum fuit Philoxeni poema, maximumque plausum ac popularem quendam favorem nactus est; nam aliquot ejus versus

pro proverbiis in usum quotidianum conversi sunt [75]). — Cyclopem Galateae amore flagrantem veteres Siculi poetae, Alexis, Nicochares (Meinek. hist. crit. p. 254), Posidippus certatim cecinerunt (cf. Gierig. ad Ovid. Metam. XIII, 755); Hermesianax etiam idem argumentum carmine tractavit [76]); exemplaris autem loco, quae hujus amatorii argumenti tractandi fuerit ratio, Theocritus reliquit idyllium undecimum; Theocritum Ovidius imitatus est (Met. XIII, v. 755 sq.). Philoxenei carminis scholiastae, ubi de Theocriti idyllio agunt, mentionem faciunt, atque etsi propriam inventionis laudem Siculo poetae non derogarim, negari non potest, non tam in singulis fortasse multa Theocrito communia cum Cytherio fuisse, quam id quod summum erat et medium quasi in carmine, et quo omnia tendebant, Theocritum a Philoxeno petiisse atque rei tractandae rationem ad illius exemplum conformasse [77]). Nam ubi ea quae de Philoxeni carminis argumento memoriae prodita sunt, cum idyllio Theocriteo comparaveris, maximus poetarum in summa re consensus haud te fugiet. Plutarchus enim (quaest. symp. I, 5) de Philoxeni Cyclope ita agit: *Τὸν Κύκλωπα Μούσαις εὐφώνοις ἰᾶσθαί φησι τὸν ἔρωτα Φιλόξενος*, et apud scholiastam ad Theocrit. XI, 1 haec leguntur: *Φιλόξενος ποιεῖ τὸν Κύκλωπα παραμυθούμενον ἑαυτὸν ἐπὶ τῷ τῆς Γαλατείας ἔρωτι καὶ ἐντελλόμενον τοῖς δελφῖσιν, ὅπως ἀγγείλωσιν αὐτῇ, ὅπως ταῖς Μούσαις τὸν ἔρωτα ἀκεῖται*, quae ubi metro incluseris, habebis Theocritei idyllii exordium, quo summa rei tractandae continetur:

Οὐδὲν ποτ' τὸν ἔρωτα πέφυκεν φάρμακον ἄλλο
Ἢ ταὶ Πιερίδες· κοῦφον δέ τι τοῦτο καὶ ἀδύ
Γίνετ' ἐν ἀνθρώποις κτλ. —

Proprius autem (praeterquam quod aliae etiam praeter Galateae amorem de Polyphemo famae dithyrambo

intextae erant) Philoxeni Cyclopi dramaticus quidam ornatus et apparatus fuit. Atque sicut priscis temporibus tantum abfuit, ut dramaticus habitus a dithyrambo esset alienus, ut in ipso illo tragoediae, quae postea effloruit, semina laterent; ita posteriore aetate, postquam varia poesis genera vinculis, quibus antea continebantur, solutis separari et suam quodque viam ac rationem sequi coeperunt, una quidem dithyrambi forma (quod nomen latissime patet) aliquantum priscae indolis aut retinuit aut postea recuperavit. Hoc inde apparet, quod inter dithyrambographorum carmina a Suida (s. v. *Μελανιπ.*) et a scholiastis etiam tragoediae memorantur, atque, ut alios mittam, Philoxenus noster a schol. ad Arist. Plut. 290 *τραγικὸς* et *τραγῳδοδιδάσκαλος*, ipsius autem carmen a Zenobio V, 45 *δρᾶμα* appellatur [78]). In qua re a duplice cavendum est errore, ne aut omnino abjiciatur illorum auctoritas, aut nimium ei tribuatur. Nam quamvis mala sit illorum fides, tamen tantum inscitiae tribuere iis non possumus, ut solis titulis ductos omnino a vero discessisse eos statuamus. Itaque neque Emperio [79]) assentimur, nec tantum ex nominibus illis (*δρᾶμα*, *τραγικὸς*) colligimus, ut de vero et genuino dramate cogitandum putemus, id quod eorum causa monemus, qui Philoxeni Cyclopem drama satyricum fuisse statuerunt [80]).

Nam quominus in vera dramata incidamus (angustiore vocis notione dicta), qualia Aeschylea, Sophoclea aetas genuit, Aelianus prohibet et Aristotelis auctoritas, quorum ille Cyclopem *μέλος* dicit (Var. Hist. XII, 44), hic inter dithyrambos refert (Poetic. I, 2). Dramatis autem nomen latissime patet, et ne tragoedia quidem iisdem semper finibus continebatur, sed modo latius patebat, modo arctius circumscribebatur; illaque tragoedia latiore ratione dicta etiam dithyrambus, ut peculiaris generis forma, comprehendebatur [81]). Quae quum

ita sint, proposita nobis est melici quaedam dramatis forma, in qua illud, quod lyricum dicitur, quomodo cum eo, quod est dramaticum, conciliemus, videndum est. Profisciscamur a cantu. Canentibus enim cum iis rebus, quas canunt, triplex esse ratio potest. Nam aut ita se gerunt, ut rebus extrinsecus petitis atque a se omnino alienis ora tantum et voces praebeant, aut ita, ut sua sensa eloquantur, eaque, quae canant, sua esse profiteantur, aut ita denique, ut aliorum ingenia moresque imitantes eorum nomine loquantur personasque induant. Huic alius personae imitationi, quam ultimo loco posui quamquam in ea sola dramatici nihil inest, dramatis quaedam similitudo imponitur, ubi distributis partibus complures alius aliam personam induunt ac canendo se excipiunt. Et hoc, ni fallor, ad hoc, de quo agitur, dithyrambi genus pertinet, quod cum ad actum scenarium compositum fuisse accepimus, tum non omnino absumtum esse a scena neque abjecisse innatam illam et insitam lyricam formam, sed retinuisse scimus. Jam si hoc agimus, ut in illo dithyramborum genere neque eas partes, quae lyricae sunt, neque eas, quae ad scenicam artem pertinent, negligamus, ita utraque res disponenda esse videtur, ut concedamus quidem, actionem quandam motumque fere dramaticum dithyrambo non defuisse, teneamus vero et hoc, illam quam dixi dramaticam actionem ita recessisse, ut progressus conversionesque rerum non tam cernentibus spectantium oculis ostenderentur, quam quo res converterentur, ex canticorum ratione, quibus dithyrambi personae modo alternis, modo monodice canentes, quae sentirent, quibusque tenerentur vitae conditionibus eloquerentur, auditores intelligerent.

Compluribus autem rebus et poetae, et ii, quibus agendus dithyrambus erat, usi sunt, quibus res, quae

gererentur, sub aspectum paene subjicerentur, ut praesentes cernere ea, quae auribus potius, quam oculis excipiebant, spectatores sibi viderentur. Accedebat enim ad cantus flexiones variis vitae ingeniorumque imaginibus accommodatas admirabilis illa ars mimica [82]), saltatio (quae inde ab antiquissimis temporibus conjuncta cum poesi fuit) gestusque sententiis congruentes [83]), quibus tanta cum mobilitate [84]), facilitate, elegantia, tam commodo atque expresse usos esse Graecos constat, ut pantomimi vel sine verbis quid vellent solis gestibus exprimerent [85]). Mimicam autem artem ad dithyrambos translatam esse Athenaeus (I, p. 19 F) auctor est, qui Stratonem Tarentinum [86]) narrat in hoc genere (*μιμούμενον τοὺς διθυράμβους*) excelluisse. Hac igitur, quam dixi, mimica dithyrambi parte factum est, ut scholiastae de Philoxeni Cyclope ita agerent, ac si de vero dramate ageretur, nec spero mirum fore, quid sit, quod et Cyclopem dicant cum pera in scenam prodiisse et de actore (*ὑποκριτῇ*) loquantur [87]). Nam consentaneum erat et eum, cui Cyclops saltandus esset, et eos, qui reliquas dramatis personas agerent, cum ea corporum specie eoque cum habitu et eo vestimentorum habitu instructos prodire, ut spectatores vel oculis, quas personas agerent, admonerentur.

Ad augendam illam, quam dixi, sub adspectum paene subjectionem multum haud dubie contulit metrorum et rei musicae ratio, qua ad varia artificia poetas usos esse constat. Nam quod nostratium musicorum usu receptum esse videmus, ut ab intimis animi affectionibus ad res extra animum positas musicam transferant, atque in eorum, quae aut in rerum natura aut in vitae consuetudine fiunt, imitatione versentur; idem illis temporibus nimio et immoderato studio factum esse accepimus. Quo major enim mirum in modum aucta et

amplificata sonorum varietate musicae facilitas erat ad varias res se fingendi et per sonos eas imitandi, eo minus ab earum rerum imitatione abstinebant, quibus effici posse videretur, ut velut in praesentem rem audientes perduceretur. Plato quidem (Rephl. p. 396 B) fuisse perhibet, qui equorum hinnitum, boum mugitum, torrentium fremitum, tonitrusque fragorem imitarentur; quid igitur impedit, quominus etiam Philoxenum suspicemur similiter musica usum variis mixtisque organorum sonis varias pecudum, quibus tanquam sociis Cyclops amores suos injecisse fingebatur [88]) (Hermesian. eleg. ap. Athen.), voces expressisse conjunctisque mimicis et musicis artificiis id effecisse, ut cyclopem cum hoedorum et caprarum aliusque pecudis grege balante, mutiente tuis oculis cernere tibi videreris. —

Haec, quam modo adumbravi, dithyramborum species comparari potest cum mimicis illis ludis, quos posterioribus temporibus acceptissimos Lucianus in libello, qui est de saltatione, descripsit. Interfuit autem hoc, quod Philoxeni temporibus cantus praevalebat et regnabat, comite quasi adjuncta saltatione; postea autem ea commutatio facta est, ut primis partibus ad saltationem delatis, quae quum Socratis tempore in incunabulis esset, senescente ipsa poesi miro modo crevit et adolevit (Lucian. de salt. c. 35), cantus, qui regnarat antea, ad inferiorem vel infimum locum detruderetur atque ita magis magisque recederet, ut, quum non necessario ad mimos pertineret, vel abjici omnino posset. At modo hoc teneamus, nescio an cum nullo genere aptius illa dithyramborum forma comparari possit, quam cum hoc genere mimorum. Nam argumenta mimi petebant ex fabulis vetereque historia (Lucian. c. 37. 31), quae, ni fallor, in utroque genere ita tractari solebant, ut non sublimi quodam rerum sententiarumque nexu contine-

rentur omnia, sed variae ostenderentur vitae imagines ingeniose ac facete cum festivitate fictae. Simillima praeterea dithyramborum et mimorum externa species fuisse videtur; accedebat enim ad mimicam actionem, quam quae in singulis artis generibus singula inveniantur, conjungere Lucianus (de salt. c. 68) ait, apparatus amplus et vastus (quo larvarum et vestimentorum magnificentia et varietas pertinebat, Lucian c. 66), nec vocum nervorumque ac tibiarum cantus deerat (Lucian. c. 68) [89]).

Sed ad Cyclopem redeundum est. Fuerunt qui longe aliter de eo statuerent. Inter eos qui nuper egregie de Philoxeno meritus est plurimaque, quae ad eum pertinent, optime explanavit, Bergleinius in hac de Cyclope quaestione nescio quantum a vero discesserit. Putat enim Berglein. (p. 56), Eichstadtium secutus (de dram. com. sat. p. 32), Cyclopem ex dithyrambicis versibus ad dramatis tantummodo similitudinem conformatis constitisse et dialogi more scriptum fuisse; ficta esse arbitratur, quae schol. ad Aristoph. Plut. 298 de ὑποκριτῇ Cyclopis in scenam prodeunte narrat; negat denique, Philoxeni Cyclopem in scenis committendum et spectandum aequalibus fuisse, sed legendum affirmat. Quae si vera sunt, oleum equidem et operam perdidi. Condidisse quidem dithyrambographos carmina, »quibus in solitudine legentium animos delectarent,« non nego, imo Convivium illud in eorum fuisse numero puto (Aristotel. ap. Athen. I, p. 6). Cyclopem autem ad actum scenarium non fuisse compositum Bergleinius non probavit, sed affirmavit, scholiastarum auctoritatem rejecit, rejiciendam esse argumentis confirmavit nullis. Qua in re eum non ea, qua debebat, egisse diligentia ex hoc cognoscitur. Scholiastae enim quod oculi privationem in Philoxeni Cyclope fuisse affirmant, id eo pertinere

Berglein. (p. 50) putat, quod »Polyphemus quum Galateam caneret, aut luminis sui jacturam praenunciaverit« (num ea re plus gratiae habiturus esse sibi videbatur?), aut, id quod ipsi magis placet, quod Telemus immani monstro casum illum vaticinatus sit. Neutrum verum est. Namque quod ad primum illud attinet, nititur Bergl. loco ap. Athen. XIII, p. 654 E. male, ni fallor, ab eo intellecto. Verba haec sunt: *ὁ δὲ τόδ' Κυθηρίου Φιλοξένου Κύκλω, ἐρῶν τῆς Γαλατείας καὶ ἐπαινῶν αὐτῆς τὸ κάλλος, προμαντευόμενος τὴν τύφλωσιν, πάντα μᾶλλον αὐτῆς ἐπαινεῖ, ἢ τῶν ὀφθαλμῶν μνημονεύει.* Quo loco si illud *προμαντεύεσθαι* interpretaberis praenuntiare, sententiam habebis satis ineptam. Nam, quid vaticinatio illa ad puellae laudes pertinet? Imo verbis *προμαντευόμενας τ. τύφλ.* Athenaeus indicare voluit, qua de causa Cyclops nymphae pulchritudinem laudans oculorum mentionem non injecerit. Sententia haec est: Cyclops quum Galateae pulchritudinem laudibus efferret, praesagiens futurum malum, oculos puellae non laudat. Non igitur se oculo privatum iri disertis verbis vaticinatus est, sed eo, quod amatae oculos non laudavit, quale sibi instaret malum vel non sciens indicavit. Aperte autem Philoxeni dithyrambum actum in scena esse docent Aristoph. verba in Pluto v. 290: *καὶ μὴν ἐγὼ βουλήσομαι θρεττανελὸ τὸν Κύκλωπα μιμούμενος καὶ τοῖν ποδοῖν ὡδὶ παρενσαλεύων ὑμᾶς ἄγειν κτλ.*

Citharizantem igitur (huc spectat illud *θρεττανελὸ*) et saltantem Cyclopem se imitari velle Carion ait, id quod frigidissimum esset, nisi Athenienses citharizantem et saltantem Cyclopem in scena antea vidissent.

Ipsam praeterea oculi privationem, non vaticinium, in Philoxeni dithyrambo fuisse ex iis, quae sequuntur, Aristophanis verbis clare prodit. Ibi enim chorus, quae Cario imitans Cyclopem praeierit, se ait peracturum

ipsumque tanquam Cyclopem esse excaecaturum, quae, quum ad Philoxeni carmen omnia spectent, nonnisi ita intelligi possunt, ut unam fuisse dithyrambi scenam statuamus, in qua Cyclops ab Ulixe lumine orbaretur. An quid egisse Ulixem in antro illo putatis? Num satis duxit sortem suam deflere? An, duobus inimicissimis in eundem locum adductis, unde abire alter invito altero non posset, sermonibus finitum esse dithyrambum putatis? Equidem puto poetam, Ulixem quum tantum periculum subire jussisset, ne legentibus quidem fuisse satisfacturum, si in angustiis eum deseruisset. —

In duas partes vel, si mavis, scenas Philoxeni dithyrambum divisum fuisse suspicor, vinculo satis laxo inter se conjunctas. In altera igitur Cyclops ostendebatur Galateae amore incensus atqud ita mitigatus, ut feros mores omnino exuisse videretur; minimum in ea parte actionis fuisse consentaneum est, tota fere Polyphemi canticis, quibus amori mederetur, expleta fuisse videtur. Plura in altera illa agebantur, quo et Ulixes in antro inclusus et Cyclops ei minitans et denique occaecatio Polyphemi et Ulixis fuga pertinebant. Multum autem Bergleinius (p. 50) fallitur, amores istos Polyphemi nonnisi embolium quoddam habendos esse putans, quod ad actionis rationem vel progressum nullam omnino vim habuerit. Neque enim intelligitur, quo jure dithyrambo, quem etiam Galateam inscriptum fuisse scimus a nympha illa marina nomen dari potuerit, cujus nonnisi tanquam ἐν παρέργῳ mentionem factam esse Bergleinius affirmat. Etiam in iis, quae de dithyrambi personis Berglein. p. 51 disputavit, verum vidisse non videtur. Nam quod duas tantum personas fuisse arbitratur, Cyclopem et Ulixem, Galateam autem prodiisse in scenam negat, id equidem non concedo; cui, etiamsi primas non dederimus, fuisse quidem in carmine partes

aliquas et ex nomine illo et ex Athenaei verbis lib. I, p. 6 apparet, quibus Philoxenum Cyclopis persona Dionysium, nymphae tibicinae, Ulixis semet ipsum significasse narrat, denique per se veri simillimum est, modo cogitemus, quam bene duobus illis coram in scenam productis sollers et ingeniosus poeta uti potuerit. Chorus denique, quem dithyrambo publice edendo non defuisse recte Bippartus (p. X. 34) statuit, quum ne mimis quidem deesset [90]), qualis fuerit ignoramus; de Cyclopibus non cogitantum est; alteri dithyrambi parti chorus Nereidum, alteri Ulixis comitum videtur aptissimus esse.

De ipsa dithyrambi compositione, quo maxime consilio quaque ratione argumentum carmini subjectum poeta tractaverit, quamquam paucissima comperta habemus, hoc persuasissimum mihi est, in ridiculis et humilibus rebus poetam versatum esse, personarum ingeniis non majorem addidisse dignitatem, sed in pejus etiam ea finxisse [91]). Maxime ridicula erat ipsius Cyclopis persona, quem alii etiam poetae ita depinxerunt, ut pro exemplari quasi immanitatis et ferocitatis esset, Philoxenus ita depinxit, ut, quum amoris furore incitatum, vel brutis ignes suos injicientem atque ab amore ad carmine se conferentem Polyphemum fingeret, contraria miscendo [92]) omnium maxime rediculam immanium et rudium monstri morum effigiem exprimeret. Ulyssis qualis persona fuerit [93]) et qua ratione ea, quae in Cyclopis antro passum eum esse fama ferebat, cum Polyphemi amoribus juncta fuerint, non clare elucet. Omnino vero a Bipparto (p. IX) dissentio, qui Athenaeum (I, p. 6) secutus a Philoxeno Ulixem Cyclopis aemulum factum esse statuit. De ea re infra fusius disputabitur; hoc loco pauca sufficiant. Miror enim, qui factum sit, ut Bippartus verba illa ἔθυσας· ἀντιθύσῃ, quae Cyclopis erant ad Ulyssem, prorsus negli-

geret, e quibus Homericam fabulam a Philoxeno non mutatam esse mihi quidem luce clarius apparere videtur. Nam quid ovibus mactatis rei est cum nymphae amoribus? Difficilis autem quaestio est, quo consilio fabula de Ulixe in antro Cyclopis incluso et de occoecato Polyphemo poeta usus sit. Atque unum illud, quo boni poetae omnes poematis partes ita conjungere solent, ut in continuatione serieque rerum alia et alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur, equidem in Philoxeni dithyrambo non reperio, nisi forte poeta hoc maxime consilium secutus est, ut rudem et illiberalem Cyclopis animum a duabus partibus repraesentaret, mitigatum per amorem eundemque dira immanitate saevientem in hospitem, ita ut eo magis, quam alienum ab humanitate animique lenitate monstrum esset, e contrario eluceret. At fortasse vanum est, arctius utriusque rei vinculum quaerere, atque equidem nescio, an in Cyclope minus artem in universa compositione adhibitam veteres admirati sint, quam facile perque varia et contraria pervagans poetae ingenium, et cogitationum quandam luxuriam atque effusionem, qua poeta huc illuc delatus speciosis sententiarum et verborum floribus rerum levitati aliquid splendoris addidisse videtur. —

Omnino velim caveas, ne toti huic dithyramborum generi, de quo agitur, nimium tribuas; nam ita comparatum fuisse videtur, ut in aurium et oculorum delectatione omnia fere posita essent, magisque externa specie et apparatu magnifico splenderent, quam bonitate et dignitate commendarentur. Neque equidem auctam, sed corruptam eo esse artem statuo; nihil in eo magni, nihil grande et grave; sed ex duplici et lyricae poesis et tragicae artis naufragio hoc novum genus ita natum est, ut nihil fere praeter ruinas pristinae gravitatis et magnitudinis excepisse videatur.

Exstitit quidem nuperrime gravissimus dithyrambi patronus Th. Bergkius [94]), qui non dubitat hoc genus excultissimam et perfectissimam poesis formam dicere. Dithyrambo enim ait primitus aliquid mimici innatum fuisse, quo soluto a stirpe novum genus natum esse drama; deflorescentibus autem dramaticae artis floribus dithyrambum id quod suum proprie esset quasi recepisse atque uberiorem et perfectiorem ad principia sua rediisse. Quae non omnino aliena esse a mea sententia satis patet; laudare tamen dithyrambum, quod ea, quae peracta et absoluta erant, redintegrare conatus sit, nunquam potero. Rudis enim ille et incultus dithyrambus, quem antiquissimis temporibus homines agrestes in Bacchi honorem fundebant, inferiorem per se solus locum in literarum Graecarum historia haberet, nisi et dramatis in eo semina latuissent, et lyrici poetae ex eo tanquam uberrimo fonte hausissent; peropportune autem accidisse credimus, ut varia, quae in dithyrambo laterent, artis principia non miscerentur, sed justo tempore separarentur ac suam quodque rationem sequi inciperent. Ita enim fieri potuit, ut quae in illo laterent, integra et sana gignerentur atque educerentur; quibus excultis fonte illo quasi exhausto nihil omnino quod inde hauriretur relinquebatur; nam quid in dithyrambo quasi in stirpe lateret, ipse literarum progressus ostenderat. Verissimum est de toto hoc poetarum genere Platonis judicium (de legg. p. 700): *ἄρχοντες μὲν τῆς ἀμούσου παρανομίας ποιηταὶ ἐγίγνοντο, φύσει μὲν ποιητικοὶ, ἀγνώμονες δὲ περὶ τὸ δίκαιον τῆς Μούσης καὶ τὸ νόμιμον*; inerat enim illi aetati vis quaedam ingenii, quae ad nova procreanda poetas impelleret; sed sicut arbor, postquam rami late diffusi emori coeperunt, proxime a radice fruticare ramulosque luxuriose pullulantes gignere solet neque flores unquam missuros nec fructus reddituros,

novum hoc dithyramborum genus magna cum ubertate et luxuria ex illa radice quasi pullulavit, corporis senio confecti nondum omni omnino vi efficace exstincta. Ad omnina quidem dithyrambus descendit atque omnia undique collegit, quae majorem ei splendorem et ornatum tribuerent; musicam artem et mimicam non comites sibi adjunxit, sed ex servitute ad libertatem vindicavit et sui quasi juris fecit; sed omnibus musicis et mimicis ornamentis collectis ea, quae amiserat, bonitatem et dignitatem non refecit. Nam qui omnia artis genera in dithyrambum tanquam in unum pulcherrimum corpus coaluisse cum summa omnium integritate et consensione arbitrantur, id factum esse putant, quod fieri omnino nequit; errant, qui musicam et mimicam artes aequis juribus conjungi posse cum poesi credunt. Hoc quidem Bergkio concedo, rationem inter poesin et illas artes intercedentem omnino esse mutatam; sed ita mutata est, ut, quae regnarat antea, regno ejiceretur atque ita deprimeretur, ut ex sublimi illa lyricorum et tragicorum poetarum grandiloquentia ad inanem vocum strepitum delaberetur. Neque hoc nego, quod idem verissime monet, dithyrambicam poesin cum toto gentis Graecae ingenio et vita arctissime tanquam membra cum corpore cohaerere; imo membra ex corpore sanguinem, quo vivant vigeantque, trahere affirmo; at sanum illa aetate Graecarum rerum corpus fuisse quis est qui dicat? —

Sed pergamus ad finem. Restat enim, ut videamus, quantum Philoxeni Cyclops ad poetae vitam pertinuerit. Athenaeus enim (I, p. 6, 7) et schol. ad Arist. Plut. 290 poetam, quum Syracusis versaretur, tibicinae cujusdam amore captum Dionysii tyranni zelotypiam movisse narrant ideoque in latomias esse conjectum, fuga vero vinculis se eripuisse [95]). In carcere autem Aelianus (Var. Hist. XII, 44) addit Philoxenum injuriae ulcis-

cendae causa Cyclopem condidisse, ita ut tibicinae illi Galateae, sibi ipsi Ulyssis partes daret, Dionysio denique Cyclopis personam imponeret [96]). Illos auctores nostrates, qui de Philoxeni vita et carminibus disseruerunt, secuti sunt omnes, quamquam in singulis minime inter se consentiunt. Nam Bergleinius, quia Cyclopis amores nonnisi embolium quoddam fuisse arbitratur, Ulixis personam ad Galateam nympham pertinuisse omnino negat; Bippartus (p. IX.) autem cum majore veri specie Ulixem a Philoxeno Polyphemi aemulum factum esse existimat. Mihi neutrum placet; frustra, ni fallor, viri docti in hac re laborarunt, si quidem, id quod persuasum mihi est, non vera, sed ficta Athenaeus tradidit. Quamquam hoc negare nolo, fuisse nonnulla in Cytherii poemate, quibus haud occulte tyranni mores carperentur. Nihili quidem facio, quod schol. ad Arist. Plut. 290 [97]) in eo Dionysii cum Cyclope similitudinem positam fuisse dicit, quod Dionysius lusciosus fuerit (nimirum aliud est lusciosum esse, aliud coclitem); sed in aliis rebus possunt quidem, modo paulo diligentius intuearis, similitudines quaedam reperiri. Constat, Dionysium quamquam adversa Musa versibus faciendis operam dedisse; quid igitur mirum, poetam, qui quo magis quid valeret sibi conscius erat, eo indignius hominis parvi ostentationem atque in eodem, quo ipse excelleret, genere aemulationem ferebat, supra etiam vinculis ob ipsos malos tyranni versus injectis irritatus erat; quid mirum, poetam, quum tot irae simulque risus causae essent, ita Polyphemum Musarum opera amori medentem introduxisse, ut agrestis incultique hominis lamentationibus multi audientium ipsius regis versificatoris *ἀμουσίαν* depictam esse intelligerent. Neque quae ad ipsum Philoxenum respicerent fuisse in carmine nego; imo verba illa Ulyssis in antro inclusi *οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι*

συγκαθεῖρξεν (Zenob. V, 45) ita comparata sunt, ut latomias et quae Philoxenus a Dionysio quasi altero Cyclope passus esset, audientibus in memoriam revocare possent. In eo autem, quod sub Ulixis persona poetam latuisse Athenaeus dicit, quanta egerit inconsiderantia perspicue cernitur. Nam si fabulam de Cyclope Galateam amante ad ea, quae ipse expertus esset, accommodasse Philoxenum, Cyclopis igitur persona Dionysium, Galateae tibicinam quandam a Philoxeno et Dionysio simul amatam significasse statuimus, poeta eam rem, quae ipsi talis carminis tali modo componendi quasi ansam praebuisse credebatur, non debebat omittere, sed suam personam ei tribuere, quem fama Galateae amatorem fuisse ferebat. — At quis unquam Ulyssi audivit rei quidquam cum Galatea fuisse? Droysenius quidem (cf. Aristoph. übersetzt v. Dr. Plut. v. 290) Ulyssis nomine ejecto Acin substituit, quem a Galatea amatum a Cyclope, quum amantes incautos oppressisset, saxo obrutum esse fama ferebat et poetae cecinerunt. Sed re vera Ulyssi in Philoxeni poemate locum fuisse neque longe ab Homerica fabula dithyrambographum degressum esse supra vidimus. Praeterea qua in re veteres similitudinem Philoxeni cum Ulysse posuerint, Suidas (s. v. ἔθυσας) et schol. ad Aristoph. Plut. 295 satis produnt: poetam a tyranno in latomias conjectum comparabant cum Ulysse in Cyclopis antro incluso. Equidem de veterum opinione ita statuo: Fuisse quidem in Philoxeni poemate nonnulla videntur, quae et ad poetam ipsum, et ad Dionysium pertinerent; quod ubi cognitum est, totum carmen ad tyrannum illudendum conditum esse subque fabulosis illis Ulyssis, Polyphemi personis homines certo tempore vere viventes latere creditum est. Tibicina autem illa ficta esse videtur, ut haberent, quae Galateae nymphae responderet. —

Jam eo pervenimus, ut de loco illo notissimo in Hermesianactis elegia [98]), quo poetae nostri mentio fit, quid statuamus dicere possimus. In quo ad poetae vitam referendo infeliciter, ni fallor, interpretes versati sunt. Ad unum enim omnes Galateam illam, cujus amorem vel ovibus injecisse Philoxenus illic dicitur (nam ita Bergkius verba multifario ab interpretibus tentata recte explicuit), tibicinam illam esse putant, quam una cum Dionysio amasse Philoxenum Suidas narrat. At verene putas, poetam suum amorem ac desiderium, quo ipse flagraret, ita abjecisse, ut ad eum hominem transferret (Dionysium dico, quem sub Polyphemi persona latuisse credunt), in cujus ludibrium fabulam de Cyclope compositam fuisse arbitrantur? Non opinor. Ego totum locum ita interpretor: Virum autem Cytherium, quem Bacchi nutrices nutrierunt, a Musis educatum Philoxenum nosti, quam vehementer commotus [99]) (de vocabulo ὠρυγῇ quid dicam non habeo) per hanc urbem venerit, audiens magnum Galateae desiderium, quod vel ovibus injecit. Omnia spectare mihi videntur ad Philoxeni Cyclopem, quem ipsum poetam, quum in itinere Colophonem venisset, docuisse in illa urbe credo. Hoc est, quod Hermesianax audiisse ingens Galateae desiderium Leontium dicit, quippe quae ipsa, quum dithyrambus ageretur, in theatro affuerit. Hermesianax autem in elegia, quum omnes poetas amoris vi incitari facit, hoc etiam ad eos transferri jubet, qui, etiamsi non aperte amores suos professi sint, tacite tamen per carmina sua, quo igne flagrarent, prodiderint. In his est Homerus, quem Penelopes amore incensum fuisse Hermesian. eleg. v. 27 canit [100]), in his etiam Philoxenus, qui eo, quod Cyclopem amore vehementissime incitatum atque adeo belluas Galateae nymphae desiderio imbutas finxit, se ipsum praepotenti amori cessisse tacite pro-

fessus est. Hermesianax igitur ignes, quibus poetae alios flagrantes faciant, ab ipsorum quasi poetarum ignibus capi dicit, verissime judicans, poetam nonnisi eas res canere debere, quarum sensu ipse moveatur. Cf. Berglein. p. 59 sq., qui quum ad multa recte animadverteret, in eo erravit, quod de Philoxeno tibicinam amante cogitavit. —

Adnotatio.

1) Cf. Suid. v. *Φιλόξ. Εὐλ.* Diod. Sic. XIV, 46. al. —

2) Errant enim, qui propter verba Pausaniae, Philoxenum cum Dionysio, *ὃς ὕστερον ἐτυράννησεν*, fuisse dicentis, de minore Dionysio agi putant. Nam *ὕστερον τυραννῆσαι* Dionysius dicitur non respectu majoris Dionysii, sed Hieronis, quem poetarum fautorem fuisse Pausanias paulo anto narraverat. Cf. Perizon. Aelian. V. H. X, 9.

3) Bergk. in Neue Jenaische Allg. Lit. Zeitung, III. Jahrg. 302, p. 1208 formam *Εὐλυτίδης* praefert.

4) Servum fuisse Philoxenum testatur etiam Hesych. v. *Δούλωνα, τὸν μουσικὸν Φιλόξενον, ἐπειδὴ δοῦλος ἐγεγόνει ὁ Φιλ. ἦν δὲ τὸ γένος Κυθήριος.* Berglein. p. 7 sumtum hoc esse putat ex comico aliquo poeta, qui contumeliose e servili condicione conflare poetae invidiam voluerit.

5) Plut. Vit. Nic. c. VI, Thuc. IV, 53. Diod. Sic. XII, 65.

6) Thuc. IV, 53: *ὁπλιτῶν φρουρὰν διέπεμπον ἀεὶ καὶ πολλὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο.* —

7) Cf. orationem a Demarato rege ad Persarum regem habitam ap. Herodot. VII, 235. —

8) De nominis significatu vid. Berglein. p. 8, qui id ad sollertiam et assiduitatem spectare putat. Recte.

9) De quo vid. Suid. v. *Μελανιππ. θυγατρ.* Non confundendus est cum majore Melanippide, qui circiter Ol. LXV. floruit. Cf. Wachsmuth. hell. Alterthumsk. I, 2, p. 323. —

10) Cf. Xenoph. Memorab. I, 4, 3: *ἐπὶ μὲν ἐπῶν ποιήσει Ὅμηρον μάλιστα τεθαύμακα, ἐπὶ δὲ διθυράμβῳ Μελανιππίδην.*

11) Cf. Diod. Sic. XIV, c. 109: (*Διονύσιος*) *σφόδρα εἰς τὴν ποιητικὴν ὑπῆρχε μεμηνώς.* XV, 6. Athen. IX, p. 401 extr. carmen memorat Dionysii, Adonidis nomine inscriptum. Cic. Tusc. V, 22: Musicorum (Dionysium) perstudiosum accepimus, poetam etiam tragicum. De poetica Dionysii facultate cf. Lucian. de non cred. calumn. c. 14. Ammian. Marc. XV, 5. Cic. ad Attic. IV, 6. —

12) Cfr. quae Cicero dicit Tusc. l. l.: In hoc genere nescio quo pacto magis quam in aliis suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi poetam, qui sibi non optimus videretur.

13) De latomiis vid. Cic. in Verr. 5, 27. Thuc. VII, 87. Bippart. p. 26. Dionysius latomias, pristina forma mutata, magis habitabiles reddidit, de qua re cf. Perizon. ad Aelian. V. H. XII, 44. Una lapicidinarum spelunca a Philoxeno nomen accepit. Aelian. l. l. —

14) Fuse haec narrantur a Diodoro XV, 6. Suida v. *ἄπαγε* et *εἰς λατομίας.* Ammian. Marcellin. XV, 5. Ita Philoxenus illa re inclaruit, ut verba »*ἄπαγέ με εἰς τὰς λατομίας*« in proverbii consuetudinem venirent *ἐπὶ τῶν μὴ ὑποφερόντων τὰ ἀνάξια.* Suid. Ad eandem rem alludit Lucian. de merced. conduct. c. 35, p. 494, *ἐὰν*

μὴ ἐπαινῇς, εἰς τὰς λιθοτομίας τοῦ Διονυσίου εὐθὺς ἀφίξῃ. —

15) Plut. de fortitud. Alexandr. tom. VIII, p. 320 edt. Reisk. οἷος ἦν πάλιν Διονύσιος ὁ τὸν ποιητὴν Φιλόξενον εἰς τὰς λατομίας ἐμβαλὼν, ὅτι τραγῳδίαν αὐτοῦ διορθῶσαι κελευσθεὶς εὐθὺς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὅλην μέχρι τῆς κορωνίδος αὐτὴν περιέγραψεν. —

16) Athen. I, p. 6. Schol. ad Aristoph. Plut. 290: λέγουσιν ὅτι (Φιλόξενός) ποτε Γαλατείᾳ τινὶ παλλακίδι Διονυσίου προσέβαλε καὶ μαθὼν Διονύσιος ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς λατομίας.

17) Cf. Suid. v. Φιλοξ. γραμμάτ., ubi miro errore legitur „ἐν Τάραντι τῆς Σικελίας," quod in „Ἰταλίας" mutandum esse apparet.

18) Cf. Athen. XI, p. 467 a.

19) Schol. Arist. Plut. 290: φεύγων δὲ ἐκεῖθεν (ἐκ τῶν λατομιῶν) ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων καὶ ἐκεῖ δρᾶμα τὴν Γαλάτειαν ἐποίησεν κτλ. Lectionem εἰς τὰ μέρη Κυθήρων recte se habere negat Bergl. p. 45, n. 55. At vid. Evang. Matth. XV, 21: ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος. Ev. Matth. II, 22: εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας.

20) Hoc testatur etiam Polyaen. strategg. VI, 12. Cfr. Berglein. p. 8 — 9. —

21) Qua re etiam apud Dionysium in gratia fuisse videtur; cf. Athen. I, 6. —

22) Cf. Athen. VIII, p. 352, 46: Ζηλωτὴς δὲ τῶν εὐτραπέλων λόγων τούτων ἐγένετο ὁ Στρατόνικος — ὥς φησιν Ἔφορος ἐν δευτέρῳ περὶ εὑρημάτων, φάσκων καὶ Φιλόξενον τὸν Κυθήριον περὶ τὰ ὅμοια ἐσπουδακέναι. —

23) Athen. I, p. 6. Quamquam minime constat, num hymenaeus ille a Cytherio sit factus. Cf. Berglein. p. 75.

24) Cyclopem enim, quum Philoxenus iter per Colophonem faceret, in illa urbe actum esse, colligo

ex Hermesian. eleg. v. 69 sq. ap. Athen. XIII, p. 598 E. cf. dissert. meae p. 56. Sunt qui illud *οἷα τιναχθεὶς ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλεως*, quod apud Hermesianactem legitur, de ingenti plausu dictum esse velint, quo Philoxenus a Colophoniis exceptus sit (cf. Berglein. p. 14). Qua interpretatione rejecta (et recte quidem) viri docti vulgatam lectionem non sanam esse statuerunt, et Bergkius quidem in commentat. de Hermes. eleg. (Marburg. 1844) p. 36 pro eo quod est *ὠρυχῇ* „*Ὀρτυγίην*" leg. censet. Ortygiam vetus Ephesi nomen fuisse putat (cf. Neue Jen. Allg. Lit. Ztg., III. Jahrg. p. 1208), Philoxenum autem, quum Ortygiam, h. e. Ephesum peteret, per Colophonem iter fecisse.

25) Cf. Antiphan. ap. Athen. XIV, p. 643 E:

Πολὺ γ' ἐστὶ πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
ὁ Φιλόξενος — — — — — — —
— — — *Θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν*
ἐκεῖνος εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν.

Petita haec sunt ex Antiphanis comoedia Tritagonista, quam post Philoxeni obitum doctam esse ex verbis *θεὸς* — *ἦν* colligimus. Opponitur autem Philoxenus non omnibus, quicunque floruerunt, poetis, sed iis, qui Antiphani aut aequales aut aetate proximi fuerunt atque in eodem, quo Philoxenus, genere elaborarunt et quibuscum apte ille comparari poterat. Quod autem *πάντων τ. ποιητῶν διάφορος* Philoxenus dicitur, apparet inde totam poesin illa aetate dithyrambo quasi absumtam esse. — De Antiphane cf. Meinek. hist. com. graec. p. 304 sq.

26) Pausan. Attic. II, 3. *Συνῆσαν δὲ ἄρα καὶ τότε τοῖς βασιλεῦσι ποιηταί· καὶ πρότερον ἔτι καὶ Πολυκράτει* — *Ἀνακρέων παρῆν, καὶ ἐς Συρακούσας πρὸς Ἱέρωνα Αἴσχυλος καὶ Σιμωνίδης ἐστάλησαν· Διονυσίῳ δὲ, ὅς ὕστερον ἐτυράννησεν ἐν Σικελίᾳ, Φιλόξενος παρῆν.*

27) Hermesian. ap. Athen. XIII, p. 598, v. 70. Versus corruptos Bergk. comment. de Hermes. elegia, Marburg 1844, p. 9 ita constituit:

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν, ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι,
Βάκχου, τὸν (vulg. καὶ) λωτοῦ πιστότατον ταμίην,
Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον —

28) Cf. Athen. VIII, p. 341: Machon comicus Philoxenum narrat a medico propter instantem mortem res suas constituere jussum respondisse:

Τέλος ἔχει τὰ πάντα μοι,
Ἰατρὲ — — καὶ δεδῴκηται πάλαι.
Τοὺς διθυράμβους σὺν θεοῖς καταλιμπάνω
Ἠνδρωμένους καὶ πάντας ἐστεφανωμένους.
Οὓς ἀνατίθημι ταῖς ἐμαυτοῦ συντρόφοις
Μούσαις, Ἀφροδίτην καὶ Διόνυσον ἐπιτρόπους.

Ἠνδρωμένους dithyrambos dicit quasi ad virilem aetatem provectos, h. e. non prima aetate oblivioni deditos, sed in longius tempus hominum plausum nactos. — De iis, quae ad poetae laudes pertinent, nihil detrahitur, quamquam res, quibus inseruntur, fide digna haberi nequeunt. Cf. Berglein. p. 67. —

29) Cf. Athen. XIV, p. 626 B.

30) Cf. Diod. Sic. XV, 6: Φιλόξενος δ' ὁ διθυραμβοποιὸς μέγιστον ἔχων ἀξίωμα κατὰ τὴν κατασκευὴν τοῦ ἰδίου ποιήματος.

31) Longum est, qui de hac egerint enumerare. Adi eos, qui de literarum Graecarum historia libros scripserunt. —

32) Ψοφώδεις διθυραμβοποιοὶ ap. Aristot. Rhet. Γ, 3, p. 117 edt. J. Bekker.

33) Cf. Welker. Nachtrag z. d. Schrift über d. aesch. Trilog. p. 186 ff. Ulrici Lit. Gesch. II, p. 477.

34) Vehementiore motu dithyrambus a paeane differebat; cf. Plut. de *Ei* ap. Delph. tom. VII, p. 528

Reisk.: *καὶ ᾄδουσι τῷ μὲν (Διονύσῳ) διθυραμβικα μέλη παθῶν μεστὰ καὶ μεταβολῆς, πλάνην τινὰ καὶ διαφόρησιν ἐχούσης — τῷ δὲ (Ἀπόλλωνι) παιᾶνα, τεταγμένην καὶ σώφρονα μοῦσαν.* Vid. etiam Athen. XIV, p. 628: *Φιλόχορός φησιν, ὡς οἱ παλαιοὶ σπένδοντες οὐκ ἀεὶ διθυραμβοῦσιν, ἀλλ᾽ὅταν σπένδωσι, τὸν μὲν Διόνυσον ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ, τὸν δὲ Ἀπόλλων μεθ᾽ ἡσυχίας ακαὶ τάξεως μέλπουσι.* —

35) Epicharm. ap. Athen. XIV, p. 628 B.

36) Haec dithyramborum ratio continetur versibus illis Timothei ap. Athen. III, p. 122, c. 95 (cf. Bergk. poet. lyric. p. 862):

Οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά.
καινὰ γὰρ μάλα (vulg. *ἅμα*) *κρείσσω.*
νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει·
τὸ πάλαι δ᾽ἦν Κρόνος ἄρχων·
ἀπίτω μοῦσα παλαιά.

37) Cf. Aristoph. Nub. 333 sq.:

Κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας ἄνδρας μετεωροφένακας
Οὐδὲν δρῶντας βοσκοῦσ᾽ ἀργούς, ὅτι ταύτας μουσοποιοῦσιν.

Quod hunc locum, quo in totius dithyrambicae poeseos inanitatem, quippe quae nubes canat, comicus invehitur, scholiastae ad ipsum nostrum Philoxenum pertinere dicunt, nihil est, nam is tum annum agebat decimum quartum. Aristoph. Pac. 831. Av. 1385 edt. Dind. Vid. et. Roetscher. Aristoph. u. s. Zeitalter, p. 201.

38) Huc pertinere videtur illud quod ferebatur proverbium: *διθυραμβοποιῶν νοῦν ἔχεις ἐλάττονα.* Schol. ad Aristoph. Av. 1392. —

39) Cf. Plat. Cratyl. p. 409 C, ubi vocabulum inauditae compositionis *διθυραμβῶδες ὄνομα* appellatur. Dion. Hal. ep. ad. Cn. Pomp. c. II, p. 32 edt. stereot.: *ὅτι δὲ ψόφοι ταῖτ᾽ ἐστι καὶ διθύραμβοι, κόμπον ὀνομάτων πολὺν, νοῦν δ᾽ ὀλίγον ἔχοντες, αὐτὸς ἐρεῖ.*

40) Plat. ap. Athen. I, p. 5. De ea quaestione, num re vera Plato illa fabula nostrum Philoxenum exagitarit, infra disputabitur.

41) Ecclesiaz. 1169 (edt. Dind.) sq. Philoxeni notari Convivium vidit Bergk. comoed. ant. reliq. p. 212, negavit Berglein. p. 71. —

42) Hoc enim sensu illa *ἀλλότρια μέλη* apud Antiph. dicta esse puto. Singularem Philoxeni laudem comicus ponit in proprietate, opponit ei musicos sibi aequales, qui carmina sua floribus aliunde petitis ornarint. Berglein. p. 23 ita *ἀλλότρ. μέλη* interpretatur, ut res a carminibus alienas inseruisse poetas post Philoxenum putet. Idem autem ab Aristophane ipsi Philoxeno crimini vertitur. —

43) Cf. O. Müller. Dor. II, p. 327: Diese beständige Aufsicht des Staates über die Musik hatte ihren Hauptgrund darin, dass man dieselbe weit mehr als einen Ausdruck der allg. Sitte und Stimmung des Gefühls betrachtete, denn als eine freie Kunst, die nur den Gesetzen ihrer eigenen Ausbildungsfähigkeit zu folgen hätte, und demzufolge überzeugt war, dass die Musik auch auf die Sitten des Volkes einen höchst wichtigen Einfluss übe. Quantae musica reipbl. curae esse debeat, Plato docet ~~de~~ repbl. p. 424 C: *εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν εὐλαβητέον, ὡς ἐν τῷ ὅλῳ κινδυνεύοντα· οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων.* —

44) Cf. Plut. de mus. c. 12: *Προτέρα μὲν γὰρ ἡ Τερπάνδρου καινοτομία καλόν τινα τρόπον εἰς τὴν μουσικὴν εἰςήγαγε. Πολύμνηστος δὲ μετὰ τὸν Τερπάνδρειον τρόπον καὶ ᾧ* (leg. *καινῷ*) *ἐχρήσατο, καὶ αὐτὸς μέντοι ἐχόμενος τοῦ καλοῦ τύπου.* Cf. et. c. 28. —

45) Cf. Plut. de mus. c. 15 c. 5. Athen. XIV, p. 631 F.

46) Cf. Plat. de republ. p. 424 C.

47) Cf. Heinrichii commentationem »über den Streit der alten und neuen Musik in Griechenland,« libello de Epimenide Cretensi affixam (p. 163 — 200) et de Doriensium musica O. Müller. Dor. II, p. 316.

48) ὅς ἐν τῇ διθυράμβων μελοποιίᾳ ἐκαινοτόμησε πλεῖστα. Suid. Μελανιππ. Cf. de eo fragm. Pherecratis ap. Plut. de mus. c. 30.

49) Cf. de eo Pherecr. ap. Plut. c. 30. Aristoph. Av. 1372. Nub. 332. Pac. 832. Plat. Gorg. p. 501 D.

50) Pherecr. ap. Plut. l. l.

51) Plut. v. Agid. 10. Cic. legg. II, 15, Athen. XIV, p. 636 F.

52) Cf. etiam Athen. XIV, p. 633: Συνέβαινε τὸ μὲν παλαιὸν φιλομουσεῖν τοὺς Ἕλληνας· μετὰ δὲ ταῦτα γενομένης ἀταξίας, καταγηρασάντων σχεδὸν ἁπάντων τῶν ἀρχαίων νομίμων, ἥτε προαίρεσις αὕτη κατελύθη καὶ τρόποι μουσικῆς φαῦλοι κατεδείχθησαν, οἷς ἕκαστος τῶν χρωμένων ἀντὶ μὲν πρᾳότητος περιεποιεῖτο μαλακίαν, ἀντὶ δὲ σωφροσύνης ἀκολασίαν καὶ ἄνεσιν.

53) Plut. de mus. c. 27. —

54) Plut. de mus. c. 15.

55) Plut. de mus. c. 6.

56) Plut. de legg. p. 700: κεραννύντες δὲ θρήνους τε ὕμνοις καὶ παίωνας διθυράμβοις καὶ αὐλῳδίας δὴ ταῖς κιθαρῳδίαις μιμούμενοι καὶ πάντα εἰς πάντα συνάγοντες κτλ. —

57) Antiphan. ap. Athen. XIV, p. 643, ubi Burgessius pro verbis ὡς εὖ κέκραται male conjecit »ᾠσὶν κεχάρισται« legendum esse. —

58) Verba Aristotelis haec sunt: Διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο, αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί; ἢ ὅτι οἱ μὲν νόμοι ἀγωνιστῶν ἦσαν, ὧν ἤδη μιμεῖσθαι δυναμένων καὶ διατείνεσθαι ἡ ᾠδὴ ἐγίνετο

μακρὰ καὶ πολυειδής; καθάπερ οὖν καὶ τὰ ῥήματα καὶ τὰ μέλη τῇ μιμήσει ἠκολούθει ἀεὶ ἕτερα γιγνόμενα. Μᾶλλον γὰρ τῷ μέλει ἀνάγκη μιμεῖσθαι ἢ τοῖς ῥήμασιν. Διὸ καὶ οἱ διθύραμβοι, ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο, οὐκέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἶχον. Αἴτιον δὲ, ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ ἐλεύθεροι ἐχόρευον αὐτοί. πολλοὺς οὖν ἀγωνιστικῶς ᾄδειν χαλεπὸν ἦν, ὥστε ἐναρμόνια μέλη ἐνῆδον· μεταβάλλειν γὰρ τῷ ἑνὶ ῥᾷον ἢ τοῖς πολλοῖς καὶ τῷ ἀγωνιστῇ ἢ τοῖς ἦθος φυλάττουσιν. —

59) Alii aliter de Philoxeni invento statuerunt. Berglein. p. 21 hoc objecisse putat comicum Philoxeno, quod ita instituerit dithyrambos, ut organorum, tibiarum cantus (μέλη) iis insereret. Bipparti sententia, in verbis »καὶ Ἀριστοφάνης μνημονεύει Φιλοξένου καί φησιν ὅτι εἰς τ. κυκλ. χοροὺς μέλη εἰσηνέγκατο,« nihil inesse censentis, quam Aristophanem mentionem Philoxeni fecisse, qui dithyramborum cantus composuerit, tantopere a veri specie abhorret, ut mirum videatur, qua re factum sit, ut in eam incideret. An vere Plutarchus putandus est tam inepte egisse, ut post Musicae Pherecrateae musicos acerbe accusantis gravissimum sermonem tantillam rem adderet? Propius Ulricius ad verum accessit, qui de hac re ita agit (Lit. Gesch. II, p. 599): Zugleich scheint es vornehmlich Phil. gewesen zu sein, der zuerst Melodieen oder melische Gesänge und Vortragsweise auf die cyclischen Choere übertrug, d. h. die Weise des Einzelgesanges mit der Weichheit und Gefälligkeit ihrer abwechselnden mannichfaltigen Melodieen, wie sie im Aeolisch-melischen Style gebräuchlich waren, wenigstens in diesem Punkte mit der Chormusik zu einigen suchte, indem ohne Zweifel die Dithyramben früher wie aller Chorgesang der Hellenen zwar nicht unmelodisch, aber doch nicht vorherrschend melodisch, sondern nur rhythmisch in einer einzigen

einfachen, rhythmisch markirten Melodie sich bewegten. —

60) Cf. C. Jul. Caesar. de carmin. elegiac. origine, Marburg 1837, p. 49.

61) Athen. XIV, p. 616, E. F. Bergk. poet. lyr. p. 848. 864.

62) Collecta sunt a Th. Bergkio in corpore poetarum lyricorum (Lips. 1843) p. 851 sq., repetita a Bippart p. 51 sq., qui hujus carminis versus plérosque omnes servatos esse arbitratur. Quod dubito num verum sit. Extrema quidem parte nescio an plurima desint eaque fortasse optima.

63) Athen. XI, p. 476 E: *καὶ Φιλόξενος ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ φησὶν κτλ.* XIV, p. 643: *ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ Κυθήριος Φιλόξενος ἐν τῷ Δείπνῳ κτλ.* XI, p. 487 A: *Φιλόξενος δ᾽ ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν τῷ Δείπνῳ κτλ.* XV, p. 685 D.

64) Athen. I, p. 5 B.

65) IV, p. 146: *Φιλόξενος ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ (εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου) κτλ.*

66) Cf. Bergk. comoed. ant. rell. p. 211.

67) Ulrici. Gesch. d. hell. Dichtk. II, p. 605.

68) Cf. Bippart. p. 49 — 50.

69) Athenaei verba I, p. 5 haec sunt: *Ὅτι δείπνων ἀναγραφὰς πεποίηνται ἄλλοι τε καὶ Τιμαχίδας Ῥόδιος, — καὶ Νουμήνιος — καὶ Ματρέας ὁ Πιταναῖος ὁ παρῳδὸς, καὶ Ἡγήμων ὁ Θάσιος ὁ ἐπικληθεὶς Φακῇ. Ὅτι Ἀρτεμίδωρος ὁ ψευδαριστοφάνειος ὀψαρτυτικὰς λέξεις συνήγαγε. Τοῦ Φιλοξένου δὲ τοῦ Λευκαδίου Δείπνου Πλάτων μέμνηται κτλ.*

70) Eadem est Bergkii sententia in Com. ant. rell. p. 211 extr.

71) De mala illa Philoxeni fama in animo habebam fusius disserere, qua re, postquam egregie de ea Bergkius l. l. et Berglein. q. 64 sq. meriti sunt, supersedere possum.

72) Cf. Bergk. l. l. p. 212.

73) Aristoteles (ap. Athen. I, p. 6) φιλόδειπνον Philoxenum dicens deridere hominem videtur, quippe qui ex tantilla re poeticum furorem petierit. — Quod quum Athenaeus non recte intelligeret, abusus est Aristotelis auctoritate.

74) Cf. praeter Bippartum p. 32 et Berglein. p. 44. O. Müller. griech. Lit. Gesch. II, p. 290. Ulrici II, p. 600. Fragmenta collegit Bergk. poet. lyr. p. 857, qui etiam Cyclopis exordium reperisse sibi visus est (cf. Bergk. in Neue Jen. Allg. Lit. Ztg. III. Jahrg. p. 1209); quod verum esse ego nec negarim, neque affirmarim.

75) Zenob. V, 45: *οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν ἐπὶ τῶν δυςανασχετούντων ἐπί τινι δυςχερεῖ πράγματι λέγεται ἡ παροιμία. Κύκλωψ γάρ ἐστι δρᾶμα Φιλοξένου, ἐν ᾧ Ὀδυσσεὺς περισχεθεὶς τῷ τοῦ Κύκλωπος σπηλαίῳ λέγει· οἵῳ κτλ.* Haec etiam Cyclopis verba »*ἔθυσας· ἀντιθύσῃ*« (Suid.) in proverbium abierunt *ἐπὶ τῶν οἷς ἔδρασαν ὅμοια πασχόντων.* Cf. Bippart. p. 43, III.

76) Cf. N. Bach. quaest. eleg. spec. I. Fuldae, 1839, p. 14.

77) Siquidem Philoxenum fabulae de Cyclopis amore inventorem fuisse vere Duris narravit (cf. schol. ad Theocrit. id. VI), quod negat Berglein. p. 45. Is enim famam de Cyclopis et Galateae amore ex Siculorum rei pecuariae deditorum rumoribus originem duxisse putat. —

78) Cf. etiam schol. ad Aristoph. Plut. 290: *φεύγων δε ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων καὶ ἐκεῖ δρᾶμα τὴν Γαλάτειαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰςήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας.* —

79) Emperius in Zimmerm. Zeitschr. f. d. Alterthumswissensch. 1835, p. 7 sq.

80) Cf. Schoell. Hist. Lit. Graec. I, p. 269 ed. Germ. Kampe, Gesch. der Griechen (Neu-Ruppin 1834) p. 277.

81) Cf. Welker. Nachtrag zur aesch. Tril. p. 242.

82) Cf. de ea Luciani librum de saltatione, qui totus in ejus laudem scriptus est. De saltatione cum poesi conjuncta cf. Athen. XIV, p. 631 C: *βέλτιστοι δ' εἰσι τῶν τρόπων οἵτινες καὶ ὀρχοῦνται· εἰσὶ δὲ οἵδε· προσωδιακοὶ, ἀποστολικοὶ (οὗτοι δὲ καὶ παρθένιοι καλοῦνται) καὶ οἱ τούτοις ὅμοιοι· τὸν γὰρ ὕμνον οἱ μὲν ὠρχοῦντο, οἱ δὲ οὐκ ὠρχοῦντο κτλ.* Vid. et Boekh. de metr. Pindari p. 270. —

83) Cf. Lucian. de saltat. c. 36: (*ἡ ὄρχησις*) *μιμητική τίς ἐστιν ἐπιστήμη καὶ δεικτικὴ καὶ τῶν ἐννοηθέντων ἐξαγορευτικὴ καὶ τῶν ἀφανῶν σαφηνιστική.* Id. c. 62: (*ὁ ὀρχηστὴς*) *μιμητικός ἐστι καὶ κινήμασι τὰ ᾀδόμενα δείξειν ὑπισχνεῖται.* —

84) Lucian. c. 19 vel Proteum saltatorem fuisse suspicatur: *Ἴδοις δ' ἂν οὖν αὐτοὺς* (*τοὺς ὀρχομένους*) *πρὸς τὸν αὐτὸν καιρὸν ὠκέως διαλλαττομένους καὶ αὐτὸν μιμουμένους τὸν Πρωτέα.*

85) Lucian. c. 62: *δεῖ τὸν θεώμενον ὄρχησιν καὶ κωφοῦ συνιέναι καὶ μὴ λαλέοντος ἀκούειν.* Lucian. c. 63 Demetrium Cynicum narrat, quum aliquando saltantem aliquem vidisset, dixisse: *ἀκούω, ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶ λαλεῖν.* —

86) Bergk. in Neue Jen. Allg. Lit. Ztg. 1844, N. 303 Athenaei locum sic scribendum esse suspicatur: *Στράτων δὲ Τ. ἐθαυμάζετο τοὺς διθυράμβους μιμούμενος, ὃς καὶ Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναυαγὸν Ὀδυσσέα σολοικίζοντα· τὰς δὲ κιθαρ. κτλ.* Ita verborum ordine immutato Athenaeum ad ipsum Philoxeni Cyclopem respicere existimat.

87) Schol. *Κύκλωψ πήραν ἔχων εἰσῆλθε;* al. *Ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς παιγνιωδῶς ἐπιφέρει τὰ τοῦ Φιλοξένου εἰπόντος πήραν βαστάζειν τὸν Κύκλωπα καὶ λάχανα ἐσθίειν. οὕτω γὰρ πεποίηκε τὸν τοῦ Κύκλωπος ὑποκριτὴν εἰς τὴν σκηνὴν εἰσαγόμενον.* Quae ut pro fictis habeamus, ne Hermanni quidem auctoritas (Opusc. VII, 214; assentitur Hermanno Berglein. p. 57) nos commovere potest (cf. Bippart. p. X). Nam dramatis nomen Lucian. c. 29 ad eam transfert actionem, quam quis saltando exprimat; recte igitur etiam ad dithyrambum transferri potest, si actio inest; quod ad *ὑποκριτὰς* pertinet, Lucian. c. 65. 66 *ὑποκρίνεσθαι* eum dicit, qui saltando personam aliquam imitetur. Ergo *ὑποκριτῶν* nomen aut recte ad Philoxeni Cyclopem transfertur, aut dramaticum eum fuisse omnino negandum est. —

88) Cf. Hermesian. ap. Athen. XIII, p. 597 A. v. 74—75:

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν —

— — — — — — — —

Γιγνώσκεις ἀΐουσα μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείης
Αὐτοῖς μηλείοις θῆκαθ᾽ ὑπὸ προγόνοις,

quem locum Bergk. in comment. de Herm. eleg. Marburg. 1844, p. 36 ita explicat: »Hoc dicit poeta, Philoxenum etiam ovibus injecisse vel tribuisse (hoc est *ὑποτίθεσθαι*) Galateae amorem.«

89) Lucian. c. 68: *ὁ δὲ ὀρχηστὴς τὰ πάντα ἔχει συλλαβών· καὶ ἔνεστι ποικίλην καὶ παμμιγῆ τὴν παρασκευὴν αὐτοῦ ἰδεῖν, αὐλὸν, σύριγγα, ποδῶν κτύπον, κυμβάλου ψόφον, ὑποκριτοῦ εὐφωνίαν, ᾀδόντων ὁμοφωνίαν.* —

90) Cf. Lucian. l. l. *ὑποκριτοῦ εὐφωνίαν, ᾀδόντων ὁμοφωνίαν.* —

91) Aristot. Poet. 1, 2.

92) Hinc nescio an de tota Philoxeni poesis indole edoceamur. Nam in contrariis salse et acute conjun-

gendis et opponendis ut plurimum valuisse Philoxenum credimus, ita talibus rebus plurimum infuisse oblectationis et stimulus quidam videtur, qui illius aetatis homines acerrime commoveret. Nam palatum satietate defessum nonnisi multo sale acutissimisque incitamentis commoveri solet. Philoxenum autem dicacitate et facetiis excelluisse audimus. Athen. VIII, p. 353, 46. —

93) Ulyssis persona veteres satis ridicule usi esse videntur; cf. Athen. I, p. 20, A: *οἱ περὶ τὸν ἐξ Ἰταλίας Οἰνωνᾶν, ὃς καὶ Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναυαγὸν Ὀδυσσέα σολοικίζοντα.* Cf. Bergk. Jen. Allg. Lit. Ztg. p. 1209, n. —

94) Bergk. in Jen. Lit. Ztg. p. 1211. —

95) Mira profecto res est, siquidem »nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri nec cogitari poterat, quam latomiae« (Cic. Verr. V, c. 27). —

96) Athenaeus I, p. 7 ipse sibi non constat; nam p. 6 poetam Dionysio, priusquam de latomiis aut de tyranni ira cogitaretur, inter coenam narrantem facit, se Galateae fabulam carmine tractare velle.

97) Schol. ad Aristoph. Plut. 290: (*Φιλόξενος*) *δρᾶμα τὴν Γαλάτειαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰσήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας· τοῦτο δὲ αἰνιττόμενος εἰς Διονύσιον· ἀπείκασε γὰρ αὐτὸν τῷ Κύκλωπι, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁ Διονύσιος οὐκ ὠξυδόρκει.*

98) Hermesianact. eleg. ap. Athen. XIII, p. 597, A, v. 69 sq. (Bergk. de Herm. el. p. 9, p. 36):

Ἄνδρα δὲ τον Κυθέρηθεν, ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου, τὸν λωτοῦ πιστότατον ταμίην,
Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθείς
ὀρτυγῇ (Bergk. conj. *Ὀρτυγίην*) *ταύτης ἦλθε διὰ πτόλεως,*

γιγνώσκεις, ἀΐουσα μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείης
αὐτοῖς μηλείοις θῆκαθ' ὑπὸ προγόνοις.

99) De verbo τινάσσειν cf. quae exposuit Berglein. p. 15. —

100) Cf. Bergk. de Hermes. eleg. p. 25. —

Ex typis Theodori Fischeri Cassellis.

Corrigenda.

Pag. 3 linea 8 a fine pro credibili lege credibile
» 5 » 11 pro justa l. justo.
» 9 » 1 pro Incommodo l. Incommode.
» 11 » 11 a fine pro Ad l. At.
» 16 » 14 pro Graecorum l. Graecarum.
» 17 » 11 pro eo l. ea.
» 20 » 10 a fine cernatur l. cernantur.
» 23 » 13 pro ima l. imo.
» 30 » 17 pro aluid l aliud.
» 31 » 4 post ἦχον l. ἔχειν.
» 32 » 3 pro tibicinas l. tibicines.
» 34 » 14 pro tribuunt l. tribuant.
» 34 » 3 a fine post agitur l. loco.
» 35 » 3 pro Convivio l. Convivii.
» 35 » 3 a fine pro Nescis l. Nescio.
» 38 » 17 pro non l. nos.
» 40 » 13 pro longo l. lego.
» 40 » 14 pro officior l. afficior.
» 40 » 13 pro quaerentes l. quaerentis.
» 46 » 5 pro perduceretur l. perducerentur.
» 48 » 8 pro τόδ' l. τοῦ.
» 48 » 9 pro Κύκλω l. Κύκλωψ.
» 48 » 1 a fine pro esse excaecaturum, quae, quum l. praeierit, se ait peracturum.
» 49 » 15 pro atqud l. atque.
» 50 » 3 pro tibicinae l. tibicinam.
» 51 » 8 pro et l. ex.
» 56 » 7 pro multifario l. multifarie.
» 63 » 20 pro digna l. dignae.
» 64 » 7 pro Ἀπόλλων l. Ἀπόλλωνα.